




SELECTA PATRUM

SOCIETATIS JESU

CARMINA.

JOANNIS ANTONII

DU CERCEAU

E SOCIETATE JESU

CARMINA.



PARISIIS,

Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiæ Scientiarum Academiæ Typographum, viâ Jacobæâ, ad Solem aureum.

M D [illegible]

Cum Privilegio Regis.

MONITUM.

CUM hujus operis pars maxima absente Authore excusa fuerit, irrepserunt aliquot menda quæ indulgentiam requirunt & facile possunt corrigi ex indice qui sequitur.

ERRATA.

PAG. 123. *v.* 1. quâ se tergore, *lege* quâ se sub tergore.
Pag. 175. *v.* 4. Tunc, *lege* Túne.
Pag. 192. *v.* 5. scilicet, *lege* Si licet.
Pag. 210. *v.* 9. quosque, *lege* quotque.
Pag. 213. *v.* 2. Ubi hic eodem, *lege* Vidi hic eosdem.
Pag. 219. *v.* 8. nostra, *lege* nostro.
Pag. 241. *v.* 1. pietate, *lege* pietati.
Pag. 243. *v.* 6. Et ista, *lege* Istáque.
Pag. 244. *v.* 9. si quid melius, *lege* si quid hic melius.
Pag. 259. *v.* 17. beatis, *lege* beati.
Pag. 262. *v.* 11. claris, *lege* clavis.
Pag. 270. *v.* 7. trop est, *lege* est trop.
Pag. 278. *v.* 10. cives ipsa, *lege* cives ipsa procul.
Pag. 289. *in titulo* Et scriptis scribendis, *lege* Et scribendis.
Pag. 302. *v.* 1. labris, *lege* labiis.
Pag. 305. *v.* 15. montagnes, *lege* campagnes.
Pag. 311. *in titulo*, habitu, *lege* halitu.
Ibid. lemnenate, *lege* lemmate.
v. 7. nitidum, *lege* nitidam.



ILLUSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI
LUDOVICO MARCELLO
DE COETLOGON
EPISCOPO TORNACENSI.

PRESSA diù ambirent dubiam cum carmina lucem,
    Et nullum exiret jam propè limen opus;
Dispeream hæc ni me, pie Præsul, cura remorsit
    Quod ferret nomen pagina nulla tuum.
Siccine dicebam meritorum oblita tuorum
    Defuit officio rustica Musa suo!
Autori cum te, cum te sibi nosset, amicum,
    Cum studia hæc sciret non inimica tibi.
Cur tacuit, cum tanta foret, tam digna canendi

Materies, laudis c... 1 seges ampla foret?
Non poterat gen... & vestræ decora inclita gentis
Dicere, non magnos quos tulit illa viros?
Quos seu bellorum, seu pacis honoribus auctos
Est eadem simili fama secuta gradu.
Sed genus ut sileat, quantum quod diceret, in te
Si nil spectari te nisi vellet, erat:
Quam sacris pollens studiis, quam larga facultas
Ingenii, docto quantus in ore lepos;
Commissi quam certa gregis custodia, quantus
Corde sub ardenti Relligionis amor;
Et quam digna Deo pietas, quam nescia fuci,
Quamque sibi constans & sine labe fides.
Erubuit nostris Musa exagitata querelis,
Pene fuit cum se diceret ipsa ream,
Ni tua virtutis comes una modestia tantæ
Ferre laboranti prompta pararet o[illegible].
Scilicet ill... tutam... e protegit umbra,
Totque tibi laudes posse placere negat.
Esse hæc vera quidem quæ dicimus omnia, sed te,

Vera licet fuerint omnia, vellе premi.
Id [illegible] jubes? cum sit ratio tam justa loquendi,
Quem petis haud facile est posse tenere modum.
Nulla-ne certa tamen species minus obvia laudis
Quam non aversâ fronte vel aure feras?
Virtutes inter quædam est [illegible] ultima, lucis
Quæ minus, at pretium grande valoris habet.
Si quæras nomen, quo sat bene nomine dicam
Nescio, conanti lingua videtur inops.
[illegible] dtu, inque oculis, totâque in imagine vitæ
Cernitur, at certum vix ea nomen habet.
Dicatur [illegible] prona indulgentia mentis
Quæ nihil austeri, [illegible] nisi lene sapit;
Est aliqu[illegible], laudemque accedit ad illam,
Sed tamen heu! meriti pars levis hujus erit.
At desint voces, possum monstrare docendo,
Fiet & exemplis res manifesta suis.
Hæc in Salesio quondam laus prima refulsit
Transit ab hac primum parte tulitque decus.
Ut fuit illius, sic est tua propria virtus,

Hac placuit cunctis, hac quoque dote places.
Illa tuo spirat, nec solo spirat in ore,
Spirat & in factis purius illa tuis.
Non tu languenti rescindes corpore membrum
Sanandi fuerit spes super ulla mali,
Non tu restingues quæ jam vanescit in auras,
Si tantum fuerit lux super ulla, facem.
Pastorale pedum, sed non in vulnera gestas,
Terror abest, illud temperat unus amor;
Atqu[illegible] oves bone Pastor amas, sic poscis amari,
Scilicet hoc unum, ne timeare, times.
Te talem est experta tuæ bene credita curæ
Patria, te talem mox quoque Belga sciet.
Et voce & vultu & blandâ dulcedine morum
Commissas Pastor concilia[illegible]is oves.
Nescio quæ, quocunque ab[illegible]as, tibi gratia jungit
Se sociam, gressu consequiturque pari.
Jam te Tornacum votis ardentibus optat
Et sperat lætos, te faciente, dies;
At tecum & nostras, levis est ea sarcina, Musas

V

Fer comites faustæ, si placuere, viæ.
Illa tulit magnos quò mitteris ora Poëtas,
Nec magnis tantum vatibus illa favet;
Te propter certè vati non dura favebit
Tutaque erit tanto musa patrocinio.
Legerit ut nomen primâ sub fonte libelli
Censoris feritas iraque victa cadet.
Et dicet, quanquam in multis peccaverit autor,
Peccantem magni nominis umbra tegit.
Exorat veniam primo sub limine Præsul
Exemplo faciles qui docet esse suo.
Saltem cum legitur quidquid de Præsule dixit,
Hic censura nihil, quod reprehendat, habet.



PRÆFATIO.

Quemadmodum ſine magno Reipublicæ litterariæ damno poterant luce publicâ carere hæc opuſcula, ita & ſine magna ejuſdem vel injuria vel querelâ prodire poſſe exiſtimavi. Ea quidem ſatis perſpectum habeo non eſſe hujuſmodi ut eruditorum lectione digna ſint admodum, aut eorum judicium ac cenſuram non vereantur: quod ultimum ſi mihi arrogarem non eſſet ferendum, cum id ne ſummis quidem Poëtis conceſſum [illegible], à quibus quanto diſtem intervallo non ſum neſcius. Sed tamen qualiacunque fuerint, non videbor fortaſſe mihi nimis tribuere, ſi ea poſſe adoleſcentibus Poëſeos ſtudioſis & adhuc illa in arte tyronibus alicujus adjumenti loco [illegible] commoda. Habent quidem celeberrimos antiquitatis Poëtas quos duces ſequantur, ſed iſti veluti clariſſima quædam ſidera neſcio quo fulgore ſuo teneriorem in juvenibus mentis aciem quaſi perſtringunt: timidis adhuc & [illegible] meditantibus officit illa altitudo; unde non abs re videri poteſt, etiam interdum in adoleſcentûm manus minorum gentium Poëtas, quibus veluti totidem gradibus ad Principes hujus artis &

Coryphæos mollior fiat aſcenſus.

Liceat igitur in illorum gratiam ea efferre quæ ipſorum cauſa à me olim exarata ſunt, & quanto potui ſtudio elimata: hæc enim varia quæ in præſenti volumine continentur carmina partim jam antea edita, partim inedita eo potiſſimum tempore ſcripta ſunt, cum ego pro Societatis noſtræ more humaniores litteras profiterer, & mihi pro officii hujus ratione Poëmation aliquod interdum recitare palam incumberet, aut Actores in ſcenam producerem, aut ſi quid accidiſſet illuſtrius non omnino indictum prætermittere.

Itaque ex his omnibus exſtitit hoc qualecunque opuſculum quod ita concinnare ſtudui, ut argumento[illegible] ſaltem varietate Lectoris faſtidio quantum in me erat occurrerem; ſunt enim in eo Paraphraſes ex Scripturæ ſacræ [illegible]cis depromptæ: ſunt ex Gallicâ Poëſi in[illegible]pretationes, [illegible] & didactica ad imitationem [illegible]rgicôn pertractata, cujus generis ſunt *Papiliones* & *Gallinæ*, ſunt lyrica nonnulla, eſt etiam drama ad ſcenam accommodatum & ſuo tempore tum Rothomagi tum Flexiæ exhibitum, de quo nihil hic habeo quod dicam amplius, cum in eâ quæ ipſi præfixa eſt præfatione, ſatis multa dixerim.

De Paraphraſibus unum hic non ſilebo: huic Poeſeos generi non ſatis tribui à multis apud

quos minus laudis habeat, quia scilicet in eo nihil fere ex ingenio suo Poëta depromat, & labor omnis ac industria in uno verborum delectu & carminis concinnitate ac elegantiâ versari videatur. Sed tamen qui rem voluerit perpendere diligentius, is sane comperiet facilius multo esse & levioris operæ procreare aliquid, ut ita dicam, ex se ipso & educere, quam alterius vestigiis insistentem & certis quasi cancellis inclusum liberam evagandi non habere potestatem : præcipuè cum ejusmodi materies incurrit quæ orationis simplicitate, jejuna, & sermonis quadam tristitiâ & siccitate, aspera, numeris poëticis condienda & perpolienda est : cujusmodi sunt narrationes historicæ ex Scripturis desumptæ, & quod ego in Paraphrasi illâ quæ *Balthazar* inscribitur [illegible] expertus, quam dum elucubrarer abjecisse me haud semel tædio & labore victum non diffitebor.

In eâdem Balthazaris Paraphrasi, relictâ vulgari hypothesi illi adhærendum sum arbitratus quæ, in materiâ controversâ, vero propinquior videretur. Ex multis hanc elegi potissimum quæ à Patre *de Tournemine* adinventa ab eodem fusè stabilietur in Apparatu Chronologico quem vulgandæ Ortodoxorum Scripturæ sacræ Criticorum editioni destinat. Cujus quidem opinionis discrepantia à reliquis

ex eo repetitur quod, in iis quæ Cyrum ſpectant, Xenophonti præ cæteris Hiſtoricis fides debeatur; tum quia res quarum veritatem compertam habere potuit tanquam certiſſimas narrat, dum commenta Cteſias mera; conjecturas tantummodo dubitans refert Herodotus; tum quia major eſt Xenophontem inter & Scripturam ſacram concordia; tum denique quia nulla eſt habenda ratio eorum quæ infenſus ipſi Plato vel unus vel primus in ejus Cyropædiâ reprehendit. In hac ſententia Darius de quo Scripturæ, & Ciaxares de quo Xenophon ſicuti & Aſſuerus [illegible] idem eſſe creduntur cum Aſtiage cui fuit [illegible] Cyrus ut refertur 13. cap. Danielis. [illegible] authoritate conficitur non diverſum eſſe Balthazarem à Laboroſarchodo de quo Beroſus, quem Nerigliſſor ex Nabuchodonoſoris filiâ ſuſcepit.

Sed ut redeamus ad ea quæ ſpectant Poeſim, licet non eadem omnino ſit Pſalmorum ratio quos Hebraïcis verſibus conſcriptos eſſe conſtat, ac cæterorum Scripturæ locorum, ſicuti nec Proſæ illius quæ *Dies iræ* nuncupatur, quæque & Poëſim quodammodo imitatur &, à quocunque profecta ſit, multum habet Poëtici ſpiritûs; tamen eſt in prioribus & rerum obſcuritas & verborum, in utroque verò obſoleta quædam & humilis

latinitas quæ Poëticam interdum hebetet facultatem & cursum non mediocriter retardet. Atque id à me nemo ita dici interpretur quasi operæ meæ commendationem inde aliquam accersere velim; sed ut intelligat qui in similibus argumentis versabitur, sibi non tantum magnæ Poëticæ supellectilis, sed & patientiæ imprimis, quæ rara in Poëtis virtus esse solet, apparatu opus esse.

Minus aliud difficultatis, nec multo levius occurrit in illis interpretationibus in quibus versus Gallicos latini æmulantur, cum in iis ne latum quidem unguem ab exemplo propositi discedere liceat, nec eadem tantum sententia, sed illius etiam vis & potestas uti & verborum, compensatione quâdam retinenda sit. Tres hujusmodi locos hic adjunxi, & duos quidem insignes ex Cornelio & Ruæo quorum sicut & tertii qui Theophilus est versus Gallicos è regione collocavi; in quo accusabit forte aliquis quasi parum prudenter fecerim, qui Cornelium & Ruæum vicinos eo in genere haud ita commodos mihi induxerim; sed ii sunt ambo à quibus vinci non sit inglorium; nam quod ad Theophilum attinet, cujus carmen aliquod sum etiam latinè interpretatus, credo meliori conditione posse cum eo concertari; Quod si cui displiceat me versus illius Autoris jam fere antiquatos & hispidâ

barbariè ſquallentes huc veluti poſtliminio revocaſſe, & vermium dentibus quaſi avulſos Lectori nauſeant: contra jus faſque impudenter obtruſiſſe; veniam is dabit ſi ex latinâ interpretatione intellexerit verborum veſtitu ut ita dicam detracto, ſubeſſe aliquid quod poëticam ſuavitatem redoleat. His adjeci & duas Commirii Odas alio carminum genere redditas; Quod enim Horatii causâ à præſtantiſſimis Poëtis factum eſt, id ejus in gratiam fieri poſſe judicavi qui ad Horatium proximè in eo genere acceſſiſſet; ac præterea illud meæ erga excellentiſſimum & Virum & Poëtam reverentiæ extare volui pignus & monimentum

Quod ad lyrica ſpectat duo ſunt de quibus Lectorem monitum velim: alterum, Imitationem Gallicam quæ Oden latinam pro recuperatâ Buhurſii valetudine proximè conſequitur, & legitur pag. 268. debuiſſe per Strophas diſtribui quarum ſingulæ quatuor verſus continerent: quod me abſente fuit omiſſum, [illegible] tum oportuit, ne Gallicæ Poëſeos leges in [illegible] uo capite viderer neglexiſſe: Alterum, me ſc[illegible] tam adverſus Santolium, interpoſitâ aliquâ [illegible]nſione poëticâ, Oden non fuiſſe hic [illegible] n poſt reconciliatam cum eo gratiam emiſſ[illegible]m; niſi eam cum ejuſdem interpretatione ga[illegible]â quæ mihi eodem tempore excidit, publici jam juris factam in poſt-

humis ipsius Operibus comperissem.

Præfationis ; hujus ; magnitudini ignos[illegible] Lector, cum longiori adhuc Præfatione, imò & excusatione opus indigeret ; sed o[illegible]nis excusationis loco erit celebre illud Ma[illegible] Epigramma quod unum Præfationis vice in multis libris præfigi posset, & quo uno exordio u[illegible] ipse potuissem ; si tamen id mihi conced[illegible], ut aliquid hic boni esse impudentius i[illegible]sse quam verius dicere audeam.

> [illegible] Bona, sunt qu[illegible]am mediocria, sunt mala multa
> Quæ legi[illegible] hic ; a[illegible]er no[illegible] [illegible]e, liber.
>
> [illegible]lis Lib. I. Epig. 73.

Vous trouverez dans cet [illegible]ge[illegible]
Du passab[illegible], du [illegible]
C'est sur ce p[illegible] n vo[illegible]s [illegible],
Lecte[illegible] at[illegible]n[illegible]ez [illegible]
Voilà [illegible]ortrait de t[illegible],
Comme c'est le portrai[illegible].

BALTHAZAR

PARAPHRASIS POETICA IN CAPUT V. PROPHETIÆ DANIELIS.

ILLUSTRISSIMO VIRO
CAROLO-FRANCISCO
DE MONTHOLON,
ROTHOMAGENSIS SENATUS
PRINCIPI.

SI vacat, & juges libet intermittere curas,
Huic etiam faciles aditus, qualésque vel ipsis
Pauperibus tribuisse soles, sperare merenti,
MONTHOLO, liceat; decorum quem fama tuorum

Assyriis ultrò peregrinum excivit ab oris.
Hic ille est monstrorum olim certissimus augur
Divinus Daniel Hebrea gloria gentis;
Qualis erat, quantúsque, sacrâ cum numinis aurâ
Afflatus, diri scelus exitiale Tyranni,
Sacrilegósque minax coràm contunderet ausus.
Hac te, credo equidem, rigida constantia mentis,
Et placitura ingens tanta virtutis imago,
Visque audax animi, tibi non ignota, movebit.
Illius intactos summa inter munera mores,
Sincera candorem anima, & sublimis acumen
Ingenii solers, majestatémque potentis
Eloquii, nullóque metu violabile pectus
Suspicies, & ni fueris tibi iniquior uni,
Egregio in Daniele tuas mirabere dotes.
Certe, ut dissimules, mecum mirabitur omnis,
Neustria, cum leges sancto florescere cultu
Gaudeat, & nusquam te vindice crimen inultum.
Quis steriles resecare moras prastantior acri
Ingenio, aternis aut litibus addere finem


Promptior? hæc tua laus, MONTHOLO, hæc propria virtus.

Te quoque venturam, tua ni citò cura resistat;
Avertisse famem servata fatebitur ultrò
Rotomagus; cui nunc aditus per densa locorum
Saxa aperis victor, decorásque laboribus urbem.
Vidimus excisos sensim subsidere montes
Ad terram, calóque cavas se attollere valles,
Vidimus; hinc meritos tanto pro munere plausus
Urbs dedit; & lachrymas dederat, solatia luctûs
Non levia ingentis, nec vanum pignus amoris,
Cum sociam thalami, dignam te conjuge, mærens
Efferret, quam casta fides, quam sancta voluntas,
Et studium lapsis miserorum occurrere rebus,
Quam cælo pietas nunquam moritura locavit.
At tu quem melior nostra fortuna saluti
Servavit, miserans afflicta incommoda gentis,
Vive diù, tuta vivent te præside leges,
Non usquam oppressus violentâ fraude potentum
Flebit inops; nusquam gemitus plorabit inanes

Infelix vidua, & Themidem incusabit iniquam ;
Ipsa procul nostris fugiet discordia muris,
Injustósque aliò secum feret atra furores.
Intereà æquato librans examine lancem
Jura dabis, scelerum, fraudísque acerrimus ultor,
Et placida unanimes populos in pace fovebis,
Dignus tantarum qui molem & pondera rerum
Sustineas, dignúsque olim ad majora vocari ;
Hoc tua te sperare jubet, virtúsque, fidésque ;
Hoc genus, & virtus, & nomen spondet avorum.



DANIELIS



DANIELIS PROPHETIÆ

CAPUT V.



BALTHAZAR,

PARAPHRASIS POETICA
IN
CAPUT V. PROPHETIÆ
DANIELIS.


SSYRIÆ postquam damnatum evertere gentis
Imperium, Cælo visum est, vinclisque gementem
Ulcisci Solimam & sceleratas perdere terras:
Eois Medum Babylona immisit ab oris
Regnorum Deus eversor, non semper ab alto
Cæca in nube tonans, sontes punire tyrannos
Cum placuit, sed Regum armans in funera Reges.
Jamque aderat muros circum, clausamque premebat

Effusus latè campis exercitus urbem,
Ignoti sceleris pænas repetente Dario;
Cui sese comitem non uno fædere junctus,
Finibus è patriis valido cum milite Cyrus
Addiderat, bello melior, gravidúsque triumphis.
Ille ubi vallorum non expugnabile robur
Cognovit, vanosque ignes & inania Martis
Fulmina (namque illinc muri septemplicis orbes
Impediunt, tumidis hinc fluctibus intonat ingens
Euphrates, undâque hostem minitante coercet.)
Difficiles tractare dolos, spes altera belli,
Institit, atque novas animō conversus ad artes,
Diversum, quo se fluvius detorqueat, alveum
Effossâ tellure cavat, flexóque ruentem
Vortice, cum totis Euphratem intercipit undis,
Aversóque viam sibi flumine pandit in urbem.
Tunc meritas fuso populorum in sanguine pœnas
Mersa dedit Babylon, & quæ fastigia cœlo
Extulerat, multos olim dominata per annos,
Sustinuit centum quos urbibus ante dolores

BALTAZAR Rex fecit grande convivium Optimatibus ſuis mille : & unuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem.

Præcepit ergò jam temulentus,

Fecerat, & verſis gemuit gens impia fatis.

Ecce autem obſeſſam dùm fulminat acer ad urbem
Hoſtis, & armorum latè circumſonat horror,
Oblitus decoriſque ſui, regníque, ſuorúmque
Imbellis Princeps, vallo confiſus & amni;
Solemnes epulas, ceu pulſo ex hoſte triumphus
Poſceret, inſolitâque parat convivia pompâ.
Tùm proceres bello intentos, pulchróque labori
Diſtrahit impatiens animi, muríſque relictis
Regalem jubet ex templò ſe ferre ſub aulam,
Securóſque hoſtis communi accumbere menſæ.
Mille adſunt numero ex omni, ſtratiſque recumbunt
Ætatis ſolo diſcrimine, & atria complent.

Ipſe autem ante alios menſarum in parte ſupremâ
Deſidiâ languens & luxu fractus inerti
Fæmineos cœtus inter, ſpondáque reclinis
Purpureâ, pleno fumantem gutture Bacchum
Accipit, & ſpreto inſultans audacior hoſti,
Cyrum inter lances, repetitáque pocula vincit.
Intereà ardeſcunt oculi, virúſque receptum

ut afferrentur vasa aurea & argentea quæ asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus de Templo quod fuit in Jerusalem: ut biberent in eis Rex & Optimates ejus: Uxorésque ejus & Concubinæ.

Tunc allata sunt vasa aurea quæ asportaverat de Templo quod fuerat in Jerusalem.

Funditur & ſenſim membris agit, ebria corpus
Mens gravat, inſuetóſque merum ſuadere furores
Incipit, & madidis regnare licentia tectis.
Jamque adeò pateras inter ſe dira reſolvit
Principis impietas, lentum punire minaci
Provocat ore Deum, veteréſque exſuſcitat iras.
Mox etiam ſcelere opprobrium cumulare nefando
Aggreditur, nam quæ Solyma ex ardente triumphan
Exportarat avus, temploque erepta Sionis
Vaſa recondiderat ſæclis monimenta futuris,
Educi in medium tumido Balthaſarus ore
Imperat, & vetitos craterûm cedere in usûs
Infandum! queis, ipſe bibat, proceréſque, ducéſque
Fæmineíque greges. Regis mandata miniſtri
Excipiunt, mediam longo ordine vaſa per aulam
Suppoſtâ cervice ferunt, ſacríque paventes
Horroris fremitu, atque averſi lumina, feſtis
Deponunt juſſi pondus venerabile menſis.
Quæque olim ſummo fuerant ſacrata tonanti
Dum ſtarent Solymæ & Templum fatale maneret,

Et biberunt in eis Rex & Optimates ejus, & Uxores & Concubinæ illius.

Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos.

Relligiosa etiam, gentísque intacta furori
Hactenùs, heu plenum spirantia pocula numen
Impuris violasse liquoribus, atque profano
Prostituisse usu, Cælo indignante, Tyrannus
Non timuit, sacrísque nefas illudere templis.
Jamque rapit, digitísque micantibus improba pellex
Divinum percellit opus, gestítque tenendo
Lascivâ tractare manu. Rex ipse morantes
Increpitans, pateram, dextrâ prætendit, & inter
Hortandum pleno spumantem exhaurit Jaccho
Fit sonitus, vocémque ferunt resonantia latè
Atria, tum Proceres, ut erat quisque ordine Regi
Proximus, & centum uxores, & cætera turba
Insequitur, sacróque ardens se proluit auro.

Nec minùs intereà Divos & barbara gentis
Numina, multiplicésque Deas, mendacia quorum
Materia ex omni, atque omni fabricata metallò
Intermixta scyphis passim simulachra nitebant;
Confuso clamore, & quo præcepit avorum
Vana superstitio, certant extollere cultu.

BALTHAZAR.

In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis ſcribentis contrà candelabrum in ſuperficie parietis Aulæ Regiæ:

Et dùm ſupplicibus votis genus omne Deorum
Sollicitant, numénque cavo reverentur in ære,
Hunc ſolum cujus vera eſt & magna poteſtas,
Regnatorem orbis, dextrâque immane frementi
Terribilem, ſolúmque Deum, ſolúmque tremendum
Impetere aggreſſi, ſcelerûmque accerſere pænas.

Nec tulit omnipotens, & quanquam perdere letho
Infandum caput, ac Medis transferre vocatis
Deſtinat imperium, viſa eſt in crimine tanto
Pæna levis, casûs ni præſentiret acerbi
Omina ſacrilegus Princeps, & morte ſub ipsâ
Perditus impoſitum horreret cervicibus enſem.
Atque ita dum vario malè perſtrepit aula tumultu
Vina ſcyphóſque inter: ſubitum, magnóque futurum
Excidio monſtrum objicitur, quod deindè Tyranni
Exitus, & populi clades miſeranda probavit.
Scilicet oppoſito qua ſeſe è pariete lampas
Exerit & plenis diffunditur aurea tectis:
En tibi, ceu muro manus intercepta lateret,
Emicuit furtim articulus, cæpítque minaces

Et Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.

Exclamavit itaque Rex fortitèr ut introducerent Magos Chaldæos & Aruſpices.

Lévem fatidico per murum ducere tractu
Adversâ ſub luce notas. Reſpexit, & omen
Exhorrens, fremuit, gelidóque expalluit ore
Balthaſar; hic verò menſis violata profanis
Relligio, & ſcelerum facies, monſtróque recenti
Ira Dei manifeſta, & cælo vindice pænæ
Terribiles turbant animum: reſoluta fatiſcunt
Membra, ſtrepunt genua inter ſe colliſa, ſimúlque
Deficiunt fractâ liquidi compagine renes,
Abruptum donec clamorem pectore ab alto
Excuſſit ferus horror: eò genus omne magorum
Chaldæos, vatéſque & quotquot noſſe futura,
Obſcura eruere, & cæcis commiſſa figuris
Pandere, venturóſque olim præſciſcere caſus
Arte ſuâ ſperant, nebulíſque aperire remotis
Seu quid ſigna ferant, ſeu quid portenta minentur,
Ociùs acciri mandat, ſi fortè latentes
Explorare notas, animóque interprete ſacrum
Omen, & arcanos valeant deprehendere ſenſus.
Convenere omnes quotquot Babylone ſub altâ

Et proloquens Rex,

ait Sapientibus Babylonis:

Quicumque legerit Scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura:

Degebant, Regem monitis, fidóque juvare
Consilio soliti, atque instantia rumpere fata.
Ipse novum Princeps digito procùl indice signum
Ostendens, nostri quæ tandem causa timoris
Discite, ait; sic fatus, humi languentia fixit
Ora gravis, rursúsque horrendo in pariete figens:
Proh mihi! proh quantas fatalis linea clades
Portendis! retulit; nunc nunc succurrite amici:
Si vestra in dubiis olim prudentia rebus
Haud experta semel, victríxque scientia fati
Jam totiès, nobísque tulit, populóque salutem:
Nunc opus immensas artis depromere vires
Ingeniúmque potens, nil exhorrescite, Cælum
Infernásque movete domos, & conscia veri
Tartara, funesti tantum recludite causas
Prodigii, seu quid tetro ferat omine dignum.
Difficiles, hæc summa, metus, curásque minaces
Demite, non deerit præstanti gratia facto.
Per caput hoc sanctum juro, quicúmque sinistros
Non mendax apices & visæ ænigmata dextræ

vestietur, & torquem auream habebit in collo; & tertius in Regno meo erit.

Tunc ingressi omnes Sapientes Regis non potuerunt nec scipturam legere, nec interpretationem indicare Regi.

Undè Rex Baltasar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est; sed & Optimates ejus turbabantur.

Regina autem pro re quæ acciderat Regi

Solverit, insigni collum circumdatus auro
Nobile, purpureóque humeros decoratus amictu
Prælatus Satrapis, atque à me tertius ibit.

Finierat, tum quisque oculis mirabile monstrum
Contemplans totâ mentis contendere cœpit
Connitens acie vigil, atque impendere quidquid
Augurio virtutis erat; verum irritus omnis
Vatibus effluxit labor, ac licet inclyta merces
Ingenio vires, artem super adderet arti,
Non tamen infandos apices penetrare legendo,
Aut inconcessi mysteria pandere signi
Tentando valuere, manus ars victa remisit
Portentóque inventa minor, quod tristiùs ipsi
Exceptum est monstro. Spes verò ut sensit inanes
Balthasar, ancipiti turbatus pectora motu
Infremuit, vagus exangui color excidit ore,
Nec proceres, aut turba metu caruere, sed omnis
Consternata sinu gemitum dedit aula profundo
Et desolatæ fremuerunt planctibus ædes.

Diverso intereà tecto Regina Nitocris

& Optimatibus ejus,

Domum convivii ingressa est: & proloquens ait: Rex in æternum vive: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.

Est vir in regno tuo qui spiritum Deorum sanctorum habet in se:

Ipſa parens Regis caſûs ignara trahebat
Caſta verecundas inter convivia matres.
Ecce autem menſis dum ritè epulatur opimis
Illius attonitas feralis nuncius aures
Perculit, exortum media inter pocula monſtrum,
Pallentes ſiluiſſe magos, terroribus actum
Regem perfurere, & procerum tabeſcere vultus.
Obſtupuit primo, mox altum corde dolorem
Diſſimulans, tanto rerum diſcrimine mater
Exiit ad natum ſedéſque ingreſſa profundas,
Terror ubi, luctúſque, & plurima mortis imago
Spirans circumſtantum oculos hebetabat inertes,
Compoſuit vultus ac Regem fronte ſerenâ
Aggrediens, longos tibi fata, o Balthaſar, annos
Dent ait, infauſtíque avertant omina ſigni
Si ſteriles ſiluere magi, & ſpem vana fefellit
Turba tuam, haud deerit, cælo monſtrante, latentes
Qui referet ſenſus & certa oracula pandat.
Eſt tibi captivos inter, quos finibus olim
Avulſos patriis Babylon ſervire coëgit,

Et in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inventæ ſunt in eo.

Nam & Rex Nabuchodonoſor pater tuus Principem Magorum, Incantatorum, Chaldæorum & Aruſpicum conſtituit eum, pater inquam tuus ô Rex, quia ſpiritus amplior, & prudentia,

Afflatus ſuperum meliori numine vates
Iſacius, non ille magos, fallàxque ſecutus
Augurium incertâ vanus ſe jactat in arte,
Sed morem infidum ritúſque exoſus inanes
Fatidicæ gentis, ſanctâ colit ipſe potentes
Relligione Deos, illis authoribus omnem
Fatorum ſeriem, monſtri genus expedit omne.
Magna quidem, ſed avo quondam regnante probavit
Nate tuo, ille etiam tetris exercitus umbris
Conſilio ſuperùm, cum nox dira omina ferret,
Sæváque turbatam lacerarent ſomnia mentem,
Tunc fruſtrà, heu memini! vatum reſponſa petebat,
Non potuit cæcos meditando extundere ſenſus
Ignarum genus, & phantaſmata ſolvere noctis;
Solus hic umbrarum quæcúmque immiſerat horror,
Ritè retexebat, ſolus quid viſa monerent
Conſcius, & nullâ fallax ambage, canebat.
Hinc tantæ virtutis opem, haud diſcrimine in uno
Expertus Princeps, hominem regalibus ultrò
Excepit donis, meritóſque rependit honores.

intelligentiâque : interpretatio somniorum , & ostensio secretorum , ac solutio ligatorum inventa sunt in eo.

Hoc est in Daniele , cui Rex posuit nomen Baltassar. Nunc itaque Daniel vocetur , & interpretationem narrabit ?

Et

Et quia fatidicam melior præſciſcere gentem,
Et magicas fati dominus tranſcenderet artes,
Nec foret Aſſyrio præſtantior alter in orbe,
Seu vigili longè caſus anteïre futuros
Conſilio, & cauſas rerum penetrare latentes,
Sivè per obſcuram temerè ludentia noctem
Et revocare animo, & certis expendere ſignis
Somnia venturas mirè involventia ſortes:
Sivè animi arcanos abſtruſo è pectore ſenſus
Eruere, aut cæcos nodorum exolvere nexus;
Illum avus, ô Princeps, meritis pro talibus, unum
Augurióque, magíſque, volens præfecit, eundem
Cum priùs Hebræo Daniel ſe nomine ferret,
Balthaſari gaudere dedit cognomine, vatem
Obſervans, primóſque inter numeravit amicos.
Ergò age Nate tuis Danielem accerſere tectis
Ne dubita, monſtrum ille tibi curáſque reſolvet.
Sic ait, & Regem blando ſermone tenebat.
Ille autem quamcúmque viam tentare paratus,
Ne quid inexpertum fato impendente relinquat,

Igitur introductus est Daniel coràm Rege, ad quem præfatus Rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus Rex de Judæa? audivi de te quoniam spiritum Deorum habeas: & scientia, intelligentiáque, ac sapientia ampliores inventæ sunt in te.

Et nunc introgressi sunt in conspectu meo Sapientes ac Magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi, & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere.

Porrò ego audivi de te quod possis obscura

Oblatum impatiens accersi in Regia vatem
Tecta jubet, verbísque exceptum affatur amicis.
Tunc ille Hebræa Daniel è gente creatus,
Quem Pater Assyrias secùm transvexit in oras
Faucibus ereptum mortis cum mænia victor
Perderet, & Solymam viduaret civibus urbem.
Atque equidem tali, de te si vera loquuntur,
Munere dignus eras, sacrâ quem spiritus aurâ
Humano major, magicòque potentior afflat.
Triste vides monstrum, ductósque in pariete certâ
Lege caracteres, quos muro allapsa per umbras
Impressit peregrina manus, quæ deindè recepta
Ex oculis, subitò in tenues evanuit auras:
Et nunc multa movens animo, metuénsque futuri,
Nequicquàm auguriúmque potens, sacrásque Magorum
Imploravi artes, stupuit rudis omine turba,
Nil ultrà potuere, carétque interprete monstrum.
Te verò lucem obscuris inducere rebus
Posse canunt, fatíque æternas solvere leges,

interpretari, & ligata dissolvere: si ergò vales scripturam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpurâ vestieris & tertius in Regno meo Princeps eris.

Ad quæ respondens Daniel ait coram Rege, munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem ejus ostendam tibi.

Et faciunt exempla fidem : nunc ſi tibi manſit
Hæc eadem, ô Daniel, tanto poſt tempore virtus,
Ut ſervavit avum, ſic ſervatura nepotem,
Exere ritè notas, veróſque ediſſere ſenſus.
Et te certa manet tanto pro munere merces,
Purpureæ chlamidis decus, & circumdata collo
Nobilis ex auro torques, Regíque poteſtas
Proxima. Cui Daniel : memoras quæ plurima princeps
Dona, tuis largire, tibi vel condita ſerva,
Non me vanus honos aut fallax purpura ducit.
Hoc verò miris quod te terroribus angit,
Ne dubita, monſtrum expediam, non fallere Reges
Edoctus ; diſces, fortè & didiciſſe pigebit.
Dira canam, funeſta feram, miſeranda recludam.
Tu faſtus inter, pompæ & regalis honores,
Heu malè deceptus totiès, veri hactenùs expers,
Dùm captam linguis præbes ſervilibus aurem ;
Liberiora pati Sapientis verbera linguæ
Aſſueſce, & veras, ſerò quamquàm, excipe voces.
Immiſſæ agnoſco funeſta oracula dextræ ;

O Rex Deus Altissimus Regnum & magnificentiam: gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor Patri tuo.

Et propter magnificentium quam dederat ei, universi Populi, Tribus & Linguæ tremebant &

Cæleſtes manus illa tibi denuntiat iras;
Plectitur his monſtris, & quæ non pauca ſequentur,
Jam veſtræ haud ſemel exitioſa ſuperbia genti.
Senſit & ipſe graves ſimili pro crimine pœnas
Ille decus veſtrum quo ſe tantùm inclyta bello
Jactabat Babylon, cujus de ſanguine cretus
Nunc quoque ſceptra nepos ſervas, animúmque ferocem.
Hunc Deus, ille Deus nutu qui ſceptra ſupremo
Diſpenſat, Regéſque facit, mox proterit idem:
Cùm libuit, ſolia evertens, calcánſque coronas,
Extulerat cunctos ſuper, imperióque potenti
Addiderat decus, ut Majeſtas inſita fronti
Frænaret populorum animos, ut fæta triumphis
Illius inſignes anteïret gloria currus.
Hinc celeres quocúmque iras, fataliáque arma
Verteret, coïs ſeu ſeſe effunderet arvis,
Oceani ſive ad fines, ſoliſque cadentis
Difficiles tractus, nuſquàm fruſtrata vocantem
Spontè ſequebatur rapidis victoria pennis.

metuebant eum : quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat ; & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.

Quandò autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio Regni sui, & gloria ejus ablata est.

Quippe ità tunc Cælo placitum, cum gentibus ultro
Hunc Dominum latè, Regémque imponeret orbi,
Qui durâ infrænes populos acerrimus ultor
Lege coërceret, vitæ & necis arbiter unus.
Illum ergò gentes, illum timuere tyranni,
Tellúsque, Oceanúsque ingens, neque enim amplior
ulli,
Si qua fides, olim in terris concessa potestas.
Ipse autem vanâ heu nimiùm virtute superbus
Authorem tantorum operum nescivit, & ultrà
Fatum hominis stultè aspirans, sibi poscere demens
Templa ausus, summóque parem se ferre tonanti.
At non ille tulit, nostræ qui cætera sorti
Indulgens, sacras soli sibi vindicat aras,
Vesanos Regum solitus contundere fastus
Indocilésque animos; immanis grande secuta
Pœna nefas, & qui superum affectabat honores,
Dedignans fæda humanæ contagia gentis;
Hunc etiàm amisit fati mortalis honorem
Ejectus solio, & brutorum more coactus,

Et à filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est & cum onagris erat habitatio ejus.

Fœnum quoque ut bos comedebat, & rore Cœli corpus ejus infectum est.

Divinâ ſubigente manu, per ſaxa, per agros,
Per ſalebras, montéſque errare, & fronde caducâ
Ingratam lenire famem, rivíſque fluentem
Lambere aquam, ſine honore trahens miſerabile corpus,
Tabentéſque artus, & membra natantia limo;
Viſus ad humanos etiam exhorreſcere vultus,
Turbatam ſævâ mentem excantante phreneſi.
Unus amor, rupéſque cavas & inhoſpita teſqua
Incolere, aut duro latitare in pumice ſaxi,
Atque feras inter ſolis aſſueſcere ſylvis.
Vidi egomet, vidi his oculis, cum lividus ora,
Deformis macie, ſetíſque rigentibus horrens,
Hirſutis per humum manibus reptaret, & inter
Reptandum, crudas moleret ſub dentibus herbas,
Ventorúmque ferens, madidíque incommoda cœli.
Sic vitam infœlix pecora inter muta trahebat
Ludibrium cœlo ſeptem volventibus annis;
Emenſo donec fatalis tempore pœnæ
Supplicio miſerum exolvit Deus, atque priori

Donec cognosceret quòd potestatem haberet Altissimus in Regno hominum, & quemcúmque voluerit suscitabit super illud.

Tu quoque filius ejus Baltasar, non humiliasti cor tuum cùm scires hæc omnia,.

Sed adversùm dominatorem Cœli elevatus es:

Et vasa Domus ejus allata sunt coràm te.

Et tu, & Optimates tui, & Uxores tuæ, & Concubinæ tuæ vinum bibistis in eis:

Restituit tandem, post longa opprobria, formæ
Conversúmque animis & se meruisse fatentem.
Tùnc adeò excelsi Regem veneratus Olympi
Supplicibus cæpit cumulare alteria donis
Confessus regnare Deum, sub numine cujus
Regum sceptra forent, cujus de munere regnant.
Atque hæc nota tibi; ni te vanissimus error
Abriperet, Dominum revereri exempla monebant
Obsequio flecti facilem, ultorémque verendum.
Tu tamen heu pænæ Princeps oblite paternæ
Non sceleris, furiis ardens convicia cælo
Dicere, nec superum timuisti illudere Regem.
Nam quæcúnque suis olim sanctissima templis
Relligio & pietas populorum grata dicarat
Usibus haud unquam violanda impune profanis
Pocula, ludibrio lymphatæ exponere mensæ
Ausus es, in cyathûmque vicem, fumantia vino
Tradere pellicibus, queis se tota impia turba
Prolueret risus inter, luxúsque nefandi
Delicias, turpésque jocos. Sed talia nunquàm

Deos quoque argenteos, & aureos, & areos ferreos, ligneósque, & lapideos qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt laudasti.

Porrò Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.

Idcirco missus est ab eo articulus manûs quæ scripsit hoc quod exaratum est. Hæc est autem

Fecit avus, quamvis Solymam succenderit igne,
Et sacro templum victor spoliaverit auro;
Sed rapta ex aris, alias transmisit ad aras
Vasa, nec indigno passus vilescere cultu
Quæ divûm templis meliòr sacraverat usus.
Prætereà dùm vana colis simulachra Deorum,
Sacrilegis extant quæ nùnc quoque plurima mensis,
Quæque adeò, quanquàm nil sunt nisi marmor & aurum,
Non fragiles larvas, sed numina vera fatebor;
Si modò venturos possint avertere casus;
Heu! verum, solúmque Deum, solùmque colendum
Qui vitæ nunc fila tuæ, tibi luminis author,
Temperat arbitrio, qui cum volet æthere ab alto
Arduus infernas adiget te fulmine ad umbras,
Hunc solùm merito demens frustratus honore es:
Hìnc immissa manus funestæ nuncia cladis,
Exitiúmque ferens & fata novissima regni.
MANE, THECEL, PHARES: sic nempè in scripta leguntur

ſcriptura quæ digeſta eſt : MANE, THECEL, PHARES. Et hæc eſt interpretatio ſermonis.

MANE, numeravit Deus Regnum tuum: & complevit illud.

THECEL, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.

PHARES, diviſum eſt Regnum tuum & datum eſt Medis & Perſis.

Tunc jubente Rege indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo ejus.

Verba sub oscuris mirè contexta figuris.
At tu quid signo lateat fatale sub illo
Accipe : *MANE*, tui numeravit tempora regni
Maximus ille Deus qui nulli obnoxius ævo
Humanam certo concludit limite sortem.
Jam *THECEL*; ipse tuos mores & facta severus
Expendit justo librans examine judex,
Inventúmque adeò trutinâ vergente minorem
Damnavit. Medos inter Persásque feroces
Partitum imperium *PHARES* monet. Hæc tibi Princeps
Dura equidem non sponte fero. Nec plura locutus.
Ille autem tetrâ perculsus imagine rerum
Eventus trepidâ versabat mente futuros.
Nec minùs intereà quamvis non grata ferentem
Omina, promisso decoravit munere vatem,
Et mox auriferi torquis dignatus honore
Ingens purpureâ Daniel in veste refulsit.
Insuper & magnâ præconis voce per urbem
Edocti populi, Danielem ad culmina rerum

Et prædicatum est de eo quòd haberet potestatem tertius in Regno suo.

Evectum, imperii qui moliturus habenas,
Ante alios proceres, ipsóque à Rege sederet
Tertius. Assyria quæ dùm gererentur in aulâ,
Haud Cyrum stolidi vecors fiducia Regis,
Ductáque per multam temerè convivia noctem
Intereà latuere, dolis qui perfida quandò
Nox favet & noctis Bacchus comes adjuvat umbras;
Urbem intercipere, atque incautam invadere ferro
Aggreditur, nempè hæc superest via sola ruinæ,
Utque priùs lato Rex impiger æquore fossam
Duxerat ingentem, quâ se deflecteret unda,
Et circumobsessas serpens innoxia turres,
Post divortia longa suo se redderet amni;
Oppositos obices primâ sub nocte refringi
Imperat, & medios ferro secedere campos.
Hìnc adeò cursus volvendo oblita priores
Præcipitat gravis unda, & nigro vertice torrens
Flectit in effossos fluvio obliquante canales,
Atque indefensam tradit victoribus urbem.
Per tenuem miles depressi fluminis alveum

Eâdem noctè interfectus est Baltazar Rex Chaldæus.

Findit iter, ſummâque femur vix tingitur undâ:
Jam ripæ objectas moles, prætentáque valla
Tranſcendit, ſomnóque urbem vinóque ſepultam
Occupat, & quacúmque ruit ſtragémque, necémque
Enſe furens ſtrictò ſecùm trahit, obvia quæque
Dat letho, ſternítque viis, ferit improbus aſtra
Cædentum pariter clamor paritérque cadentum,
Et gemitus abrupti, & fæminei ululatus
Ac ſævum horrorem noctis quoque duplicat horror.
Jamque ipſam cæſis raptìm cuſtodibus arcem,
Marmoreáſque domos & vaſta palatia Regis
Irrupere, micat ferus enſis, & atria latè
Pervolitat terror. Nùnc te, nùnc perdite Princeps
Tandem aude conferre Deo, premit ultor & hoſtis.
Nequicquàm deſueta tremens conſurgis in arma,
Et ſtricto imbellem defendis acinace dextram,
Nùnc morere. Hic telis ſubitò turbâque ruentum
Obruitur, multâque aſperſus cæde ſuorum
Indignantem animam crebrò ſub vulnere fundit.
Regibus exemplum & documentum inſigne futuris.

Et Darius Medus ſucceſſit in Regnum annos natus ſexaginta duo.

At Cyrus celebri domitam Babylona triumpho
Ingreditur, plausus atque inter vota suorum
Ipse novo insignis senior diademate Medus
Victorem multo Cyrum decoravit honore,
Atque ultrò Imperii partem permisit habendam.

FINIS.

PARAPHRASE

PARAPHRASIS
POETICA
IN PROSAM
DIES IRÆ,
ET
PSALMOS LXXXII. & LXXV.




PROSA ECCLESIASTICA PRO MORTUIS.

DIes iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favillâ,
Teste David cum Sibillâ.

Quantus tremor est futurus:
Quando judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum



IN PROSAM
DIES IRÆ
POETICA PARAPHRASIS.

O Quam terribili complebit lumine terras
Illa dies, extrema dies & sacra furori!
Quâ subito emotis convulsus sedibus orbis
Ibit in ultrices, flammâ evertente, favillas.
Credite, divino verax ita carmine vates
Regius & veteres olim cecinere Sibyllæ.

Qualis erit rerum facies, quantusque subibit
Mentibus attonitis, membrisque trementibus horror!
Cum tonitruis, ignesque inter, jaculatáque cœlo
Fulmina, candenti volucres in nube per auras,
Judex Christus veniet disquirere mores.

Tum horrenda dabit sonitum tuba, quo fremet
orbis

Coget omnes ante thronum.

Mors ſtupebit & natura,
Cùm reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Oceanus latè, quo tellus concita manes
Evomet attonitos, & coram judice sistet.

Tunc adeo natura novo perculsa stupere
Excita è gravibus mirabitur ossa sepulchris
Inter se commissâ iterum compagine jungi;
Quæque atro fuerant resolutæ pulvere carnes
Ossibus induci, veterémque resumere formam.
Vulnera mors etiam sua cum reparata videbit
Se victam positis fugitiva fatebitur armis.

Ergo ubi compositæ redivivo corpore gentes
Stabunt ante oculos & summi judicis ora;
Dejicient hebeti pallentia lumina vultu
Ad terram exangues, faciétque silentia terror.
Ipse autem immensi miranda volumina libri
Proferet, hic tectæ fraudes, & morte sub ipsâ
Infectum scelus, & funestæ insontibus artes,
Et fratrum cædes, & iniqui ferrea jura
Fœnoris, æterno signata adamante legentur;
Virtutes etiam variæ, ac descripta piorum
In gemmis opera, & fulvo cernentur in auro:

Judex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem Patronum rogaturus,
Cùm vix juſtus ſit ſecurus.

Rex tremendæ majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.

Quæ postquam justo appendens examine Judex
Impia librarit simul & pia facta, sequetur
Depressam alternæ lancis sententia partem.
Nequicquam scelerum sibi mens heu ! conscia densam
Turpibus optabit vitiis offundere noctem ;
omni excussâ Judex caligine culpam
Eruet & cæcos scrutabitur igne recessus.
At neque se ti isti quisquam subducere pœnæ
Posse pu , certa inventum manet ultio crimen.
H a quantum elapsæ series malè perdita vitæ
Terret & infractæ tam sævo vindice leges !
Quid andem, Christo scelera exprobrante, reponam ?
Cujus opem tanto in luctu implorare licebit ?
Hei mihi ! vix illâ justus non concidet horâ.
At tu supre qui torques numine mundum,
Inclyte Rex, solóque quatis mortalia nutu
Pectora, dum sanctam, tuáque olim jussa secutam
In cælum asciscis divino munere gentem,
Me quoque consortem ascribi patiare beatis

Recordare Jesu pie,
Quod sum causa tuæ viæ,
Ne me perdas illâ die.

Quærens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ordinibus, ſummòque Deum te cernere Olympo.
Quod mea ſi prohibent, eheu, delicta, memento
Quantorum cauſa extiterim tibi, Chriſte, laborum,
Ne pereat tantâ quondam mercede redemptus.
Errantem tu me & deceptum fraude viarum
Per ſcopulos, per ſaxa, per & deſerta ſecutus,
Amiſſam ſeu paſtor ovem, feſſuſque ſequendo,
Viſus es illimem decedere fontis ad undam
Deficiens, ſi forte domum, ſi forte redirem!
Nec tamen his contentus amor, niſi pendulus altā
De cruce, ludibrium plebi datus, heu! mea ſponte
Flagitia infami damnatus morte piares.
Ergone diſpereat pretium crucis: Ergone poſthac,
Chriſte, tot expenſos fruſtra patiare labores?
Juſte hominum Judex & inexorabilis ultor
Aſpice ut ingenti trepidet formidine pectus.
Pœnitet ah! peccaſſe, animo commiſſa recurſant
Crimina, tartareos merui, nec deprecor ignes;
Si qua tamen ſupereſt pietas, teſtantia luctum
Ora vide, jugíque genas humore madentes;

Ingemiſco tamquam reus,
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam abſolviſti,
Qui latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Dumque manus tendo supplex, ignosce, priusquam
Dicere jus venias & iniquam perdere gentem.

Non ego mendaci confidens subdolus arte
Dissimulare scelus, meritásque eludere pœnas
Speravi, aut vano prætexere nomine culpam.
Agnosco, fateórque, reum suspiria produnt.
Frons etiam, frons ipsa gravi suffusa pudore
Arguit & lachrimæ testes & pectora palmis
Vindicibus percussa & misti pulvere crines;
Pacem oro, tristes, precibus si flecteris, iras
Mitte animo, veniamque bonus concede roganti.

Scilicet illa meum spes allevat una timorem.
Namque ubi propositæ turbatus imagine pœnæ
Deficit aspectu, furiisque urgentibus expes
Infernis animus sese jam devovet umbris;
Tunc nota illa tui melior clementia cordis
Occurrens fausto lapsam erigit omine mentem.
Ecce mihi primum hinc felix se Magdalis offert
Scissa comas, passisque pedes amplexa capillis
Et veniam exorans. Se se prius objicit inde

Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè:
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens in parte dextrâ.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.

Lachrymosa dies illa,

Ille crucis socius latro, te supplice voto
Dum colit, expertus vicinâ in morte salutem.
Hæc Christe obfirmant animum, atque ut cætera tandem
Defuerint, sperare jubes & credere amanti.
Te vero frustra lachrymis, humilíque lacessam
Voce rogans, tua ni superet clementia crimen.
Parce tamen dulci victus pietatis amore,
Parce reo, æternis & me bonus eripe flammis.
Cúmque gregem edictâ collectum in valle recensens
Divinus sacro signabis stigmate pastor,
Me lectas precor inter oves à turpibus hædis:
Sepositum esse jube, dextrámque accedere partem.
Ut postquam infami convictos crimine vitæ
Perpetuo sontes ultor damnaveris igne,
Te sequar æthereas Divis adjunctus in ædes.
Hoc te fusus humi, supplexque & corde precabor
Attrito, ne Christe inopem, trepidúmque futuri
Destituas, suprema mihi cum venerit hora.
O quanta illa dies, animo quam sæpè recurrit

Qua resurget ex favillâ.
Judicandus homo reus.

Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem.

PSALMUS LXXXII.

DEus quis similis erit tibi? Ne taceas neque compescaris Deus.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te extulerunt caput.

Super populum tuum malignaverunt consilium: & cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Heu lachrymosa dies & ineluctabilis hora !
Qua miserandus homo spoliis à morte receptis
Exurget Christo dicturus judice causam.
Tu facilis veniam largire fatentibus ultro
Infirmæ prudens lapsus expendere gentis,
Et tecum optatâ demum da luce potiri.

IN
PSALMUM LXXXII.
POETICA PARAPHRASIS.

Ecquis erit qui tecum armis contendere demens
Audeat, o Regum Rex inclyte ? Nunc age grandi
Voce tona, quid enim ulterius cunctere ? Morantes
Increpitat jam rauca viros tuba, jam ferus hostis
Insonuit, tumidamque audax caput altius effert.
Scilicet unanimi sociatæ fœdere gentes,
In certam ! Isacidûm conjuravere ruinam,
Addictamque tibi per tot jam sæcula, iniquis
Devovere odiis, jurati perdere plebem,

Dixerunt:

venite & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israël ultrà.

Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversum te, & testamentum disposuerunt

Tabernacula Idumaorum & Ismaëlita, Moab & Agareni, Ammon & Amalec, Alienigena cum habitantibus Tyrum.

Et enim Assur venit cum illis: facti sunt in adjutorium filiis Lot.

Jamque truces certatim acuunt his vocibus iras:
Ite, viri, properate, faces, incendia, flammas
Ferte citi, penitúsque exosam exscindite gentem,
Nomen ut æternâ pereat sub nocte sepultum.

Tu Pater, immeriti causas scis ipse furoris.
Te propter, legémque tuam, quam pectore toto
Amplexi coluere patres, coluere nepotes;
Te propter populi oderunt, & triste minantes
Exitium miserâ impugnant in prole parentem.
Consiliis te cæca suis, te perfida telis
Gens petit, in te unum tanto coiere tumultu
Inde Moab, atque inde Agarenus & improbus Ammon
Hinc & Idumæus validisque Amalecus in armis
Et ferus Ismaël, gentisque exercitus ingens
Assyriæ, & fortis Gebal, & Tyrus inclyta bello
Quæque Palæstinos gens incolit impia fines
Omnes Lotiadum certi se adjungere turmis
Ad bellum erumpunt. Sed tu Deus æthere ab alto,
Rumpe, tona, & valido fractas terrore cohortes
Sterne solo ac totis palantes disjice castris

Fac illis sicut Madian

& Sisara,

Sicut Jabin in torrente Cisson.

Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb,

& Zebee & Salmana.

Omnes principes eorum qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Ceu quondam obscuræ per iniqua silentia noctis
Oppressus subito Madian clangore tubarum
Ipse suis cecidit telis, ho[illegible]nque requirens
Impia fraterno respersit castra cruore.
Perde pater, versósque jube dare terga maniplos
Inque fugâ mortem inveniant; ceu perfidus olim
Sisara torrentes victus Cissontis ad undas
Cum fugeret, fixus ferali tempora clavo
Fœmineâ occubuit dextrâ, somnóque sepultus
Indefensam animam multo cum sanguine fudit;
Quo casu Rex ipse animo concussus Jabin
Concidit & longo fractus certamine cessit.
Tum vaga per steriles jacuere cadavera campos,
Quale jacet putribus dispersum stercus in arvis,
Et fœdo Endorios tinxerunt sanguine fontes.
Ipsi etiam periere duces, nec turpis Orebum
Eripuit fuga, nec Zebum texere latebræ
Occidit & sævus Zebeas & Salmana, Reges
Ambo, pares scelere, & simili quoque morte peremti.

Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti,

Sicut ignis qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes:

Ita persequeris illos in tempestate tuâ, & in ira tuâ turbabis eos.

Imple facies eorum ignominiâ & quærent nomen tuum Domine.

Hæc pariter maneant ſcelerato fœdere junctos
Fata duces, vano tumidi præcordia faſtu
Sperarunt in ſancta tui ſacraria templi
Irruere & gemmis ſpoliare nitentibus aras;
At tu confiſos puerili robore ludens
More rotæ torque volucri quam concitus axis
Turbine præcipitans rapit, & ceu, dum furit agris,
Aëra per vacuum ſtipulas rotat Eurus inertes:
Aut velut immenſæ comprehendens robora ſylvæ
Ignis edax ramos populatur & omnia vaſtat
Dum totos lata involvunt incendia montes.

Sic o! ſic rapidâ torquens vertigine Reges
Attere, ſic triſtes populis immitte procellas
Caſtigans ultro pater, experiantur amarum
Dedecus, inſigniſque ferant opprobria culpæ;
Ut te tantorum cauſam authoremque malorum
Edocti multâ ſociorum clade requirant.

Sin autem, blandâ dum corripis arte, paternam
Detrectent virgam furiatâ mente rebelles;
Mitior indomitas ſi pœna exulceret iras;

Erubeſcant & conturbentur in ſaculum ſaculi, & confundantur & pereant.

Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus: tu ſolus altiſſimus in omni terrâ.



Tunc justum, patris posita pietate, furorem
Indue, tunc durum vexans genus, acribus ultor
Exerce opprobriis, tunc flammâ & vindice ferro
Debellâ, & quoniam junctis te viribus ausi
Impetere, ipsorum coëant in funera juncti
Tellusque, Oceanusque & totis ignibus æther:
Ipsi conversis in se (miserabile) telis,
Divisi inter se pereant, & cæde natantes
Sacrilegi pœnas dent fœderis: audiet orbis
Ultimus, & Dominum cœli terrâque potentem
Exitio experti vel in ipsâ morte probabunt;
Teque verebuntur domiti, agnoscentque supremâ
Voce Deum, certo qui volvens omnia nutu
Solus in immenso regnas altissimus orbe.



PSALMUS LXXV.

NOtus in Judæâ Deus : in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde.

IN

IN PSALMUM LXXV. POETICA PARAPHRASIS.

DEmersas altâ penitus caligine gentes
Vana superstitio si cultu illusit inani
Non eadem Isacidas recto de tramite flexit:
Notus Judæâ Deus ingens notus in orâ:
Hic templum, inque adytis templi fulgentibus aras
Possidet, hic populi votis precibusque vocari
Assuescit, tutúmque suâ complectitur umbrâ.
Quippe sibi terram hanc terris magis omnibus unam
Delegit pacis sedem, placidæque Sioni
Allapsus niveo præsens in monte refulsit.
Illic & validos arcus, & fortia rupit
Tela manu, clypeum & sævos pugnantibus enses
Abstulit, & raptis bellum quoque sustulit armis.
Tu pater æternis vibrans è montibus ignes
Fregisti audaces animos atque impia regum

Dormierunt somnum suum & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tuâ, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es & quis resistet tibi?

Ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti judicium tuum.

Terra tremuit & quievit cum exurgeret in judicium Deus ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Consilia. Illi armis, nueróque opibusque suorum
Fidentes cæcâ perierunt nocte gravati
Captivi in castris adeo, atque arma inter inermes:
Inventum qualis noctu qui somniat aurum,
Somnus ubi cessit, dextram miratur inanem.
Vox tua concussas latè exaudita per auras
Palantes in equis tardisque in curribus hostes
Terruit & subitâ tardatos morte repressit.

O! quam terribili miseris mortalibus instas
Numine, quísve tuis demens se opponere telis
Audeat, & miserum caput objectare furori?
Flagitiis Eheu si quando excita nocentûm
Exarsit vindicta & ineluctabile fulmen.
Ipse tuas rutilis testans è nubibus iras
Pectora terrifico stravisti tacta fragore,
Hinc etiam cum cœlo humiles miseratus ab alto
Ultricem armares vexantûm in funera dextram
Infremuere animi atque imis succussa cavernis
Intremuit tellus & mox compressa quievit.
Tunc qui nostra prius meditati funera bello

Mortem intentabant, festis te cantibus ultro
Mutatis conversi animis extollere discent.
Si qua tamen priscæ superent vestigia mentis;
Si furor & numquam satis exsaturata ruinis,
Ira recrudescat, tu dextrâ ulciscere rursus
Vindice, dum justâ tandem formidine victi
In sese redeant, interque insignia pompæ
Te Dominum celebrent, timeant, venerentur, adorent.

At vos servatæ jam vota exsolvite gentes,
Vos patrias donis cumulate recentibus aras
O solymæ, seu qui solymarum in finibus, ad vos
Pertinet hæc etiam præstantis gratia facti.
Solvite, supremo jam munera solvite Regi
Qui mundum terrore quatit, subitâque superbos
Desuper incumbens plectit vertigine Reges,
Suppliciisque minax, pœnæque timore coercet.



ILLUSTRISSIMO VIRO

YVONI-MARIÆ

DE LA

BOURDONNAYE

EQUITI, DD. DE COUETION

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO,

ET

PER SUPERIOREM NEUSTRIAM

SUMMO

JURIS, BELLI, ET ÆRARII

PRÆFECTO.

UT sunt muneribus, sua sunt incommoda magnis
BVRDONNÆE; gravi sæpè obsequiosa tumultu
Turba ruit, justisque intervenit improba curis.

Quia nova turba tuos etiamnum cernere vultus
Expetit : ecce vides ut longo examine circum
Te volitat , fundítque levi se plurimus alâ
Papilio ; digitis ut hic insidet aureus , ille
Ut nitidâ gestit pennas tibi pandere chartâ ,
Ausus & innocuo calamum pervellere rostro.

Terruit illa quidem vana fiducia gentis ,
Multáque pramonui qua grandi avertere cœpto
Debuerant , sedenim pulchro confisa colori
Proripuit sese indocilis , fugítque monentem
Scilicet infidus tibi forma illuserit error ,
Et fuco temerè illectus capiaris inani !
Da veniam tamen , & teneram bonus aspice plebem ,
Dum tremulo circum strepitu placuisse laborat ,
Et formas sine more fluens se vertit in omnes.
Non illi vitium gentis commune , nec ortus
Consimilis ; patriis alios delectet in hortis
Segnities inhonora & mollis inertia vita ,
Aut sterilis labor , ignavíque simillimus oti ;
Nostra hac progenies melioris origine fati


In gremio Musarum, & floribus orta superbit
Aoniis, ac docta inter consortia vatum
Vtilibus studiis, gratóque assueta labori,
Turpia communis nescit contagia culpæ.

Ergo age seu forma tangit, seu gratia morum,
Aspectu dignare tuo, facilésque per horas
Dulcibus admitte interdum post seria ludis.
Cur tibi, Neustriaca quæ nunc facis otia terra,
Invideas? sint quos obscura nubila mentis
Discutere, aut rugis austeram solvere frontem
Pœniteat; non te rerum sub mole gementem
Cura & difficilis labor asperat: usque sereni
Vna eadem spirat blanda indulgentia vultûs.
*Sic est; Pictonicis * quidquid referebat ab oris*
Fama memor, quidquid de te sperare jubebat,
Sensimus experti, miseros sermone benigno
Excipis, ingratámque levas pro tempore sortem:
Nunc & in hybernis cautus te vindice miles
Abstinet, & justa victus formidine pœna

* Eandem præfecturam apud Pictones gesserat.

Damna suis inferre timet redimenda ruinis.
Et dubitem infirmæ tam certum exquirere genti
Præsidium? ite meæ, felix jam turba, volucres,
Ite, licet; fausti defensas nominis umbrâ
Ecquis deinde vetet volitare impunè per urbes?





PAPILIONES.

TE quoque pennigeræ decus haud ignobile gentis
Papilio, te ruris honor, flos addite veri,
Te purâ eximios vibrantem luce colores,
Ingeniúmque, genúsque canam : tu Phœbe canenti
Dexter ades, curas nec dedignare minores.
Carminis hunc etiam meruit sibi pulcher honorem
Papilio, vitæ qui jam pertæsus inertis
Castalios vatum consors lustrare recessus
Ardet, & Aonias inter consuescere lauros.
Hunc ego, seu faciles velitans impunè per auras
Colludat Zephyris, seu flores inter amænos
Sole sub ardenti tremulâ lasciviat alâ;
Ut vidi, juvat innocuos describere lusus,
Instabilésque animos, variæque insignia formæ;
Non frustra teneræ mater natura volucri
Faverit, & nitidâ depinxerit iride pennas.

Ut primum extremâ frigus decedere brumâ,
Montibus ire nives liquidis, mitefcere venti
Cœperunt, duræque hyemis vis cæca remifit;
Continuo totis fe plurimus undique campis
Papilio effundit, nacentéfque occupat hortos:
Cunctantem increpitans Zephyrum, Floramque morantem.
Hinc jam vertentis tempus formofius anni
Præcipe: ver oritur, veris non certior augur
In tignis habilem nidum fufpendit hirundo,
Aut turres ftudio circumvolitavit inani.

Unde autem fubitus rofeis exercitus alis
Prodierit, quæ fint pictæ primordia gentis,
Unde animam trahat, unde genus, quâ matre creati
Humanos læto perfundant lumine vifus,
Hactenus incertum eft: cœli de munere credas
Vere novo illapfos tepidis fuccedere fylvis.

Hinc quidam auroræ lachrymis, lentóque per herbas
Progenitos humore putant, cum rofcidus imber

Mane fluens, levibus diſtinguit gramina bullis.
Scilicet hinc natos occulto ſemine vermes
Creſcendo tenues paulatim aſſumere pennas,
Et patrio memores tandem ſe tollere cœlo
Credere amem; quid enim hunc blandis animalibus ortum
Invideam? aurorâ ſoboles ea digna parente,
Et, ſi non genuit, potuit genuiſſe videri.
Sed tamen ambigui ſi Papilionis origo
Illa fuit; cur nativæ cunabula gemmæ
Cur partûs ratio, madidíque infantia vermis
Cæca latet? latet illa tamen, curámque ſagacem,
Et doctos ſcrutantum oculos ignota fefellit;
Ecquis enim, vanus ni mentem illuſerit error,
Tale quid arcanâ ſpeculans deprendit in herbâ?
Nec magis illa meæ placeat ſententia menti,
Erucâ ex humili ſumptis in corpore naſci
Papilionem alis, & pulchrâ ſorte ſuperbum
Jam tumido ferri, qui repſerat antè, volatu.
Ipſa quidem, poſtquam naſcentia gramina tardis

Morſibus, & triſti vitiavit rura veneno
Exitioſa lues; vitæ pertæſa prioris,
Obſcuróſque inter dedignans ſerpere caules;
Extremo ſub vere, novis cum fervida campis
Imminet, & teneris adoleſcit frugibus æſtas,
Jam tum lanificâ filum deducere ab alvo
Incipit, & turpem circum ſibi volvere ſetam;
Hic verò quantos nocituræ ſortis amore
Suſtinet, anguſtâ verſans in nocte, labores!
Ille olim herbarum ex ſucco morientibus agris
Collectus, lentâ macie conſumitur humor,
Arida contrahitur miſere cutis, & malè pallet;
Dum tandem rupto, quo clauſa eſt carcere, ſurgat
Alitis in tenuem mirè converſa figuram.
Et tum pro ſimili ſpecie, pro compare vultu,
Papilionis habet nomen; ſed ſquallida tetri
Corporis illuvies fœdum genus arguit: horret
Deſidiâ, excurſúſque breves ſi tentat in auras,
Deficit, & pigris vix terræ adremigat alis.
Sed non & longum mentito exultat honore,

Mors tacito premit atra gradu, frustráque trementes
Obtendentem alas, pallenti vindicat orco:
Tanti emitur decor & speciosæ gloria formæ.

Nobilis & quoniam tam turpes abnegat ortus:
Papilio, quæ sint germanæ exordia prolis
Persequar; haud frustra primi sub lumina solis
Evolat ad roseos tantâ dulcedine flores
Unde genus ducit: nam dum violaria circum
Effundit se turba, & flores inter oberrat;
Sæpè per extensos calices dispersa relinquit
Ova parens, sobolis jam pignora certa futuræ,
Depositum flores, & amicæ semina prolis
Excipiunt, clausíque sinu interiore recondunt.

Sic positis nil tristis hyems, Eurique rigentes
Officiunt, aut imber aquis; nisi turbine nigro
Ingruerit fera tempestas, cum prœlia venti
Conseruere, gelúque nives densantur acuto,
Et rigidæ duro rumpuntur frigore rupes.
Hei mihi! nulla salus hortis aut dulcibus agris;
Intereunt præcisæ imis radicibus herbæ,

Intereunt flores, ipsísque in floribus hospes
Papilio gelidis perit interceptus in ovis.
Vere renascenti mœstis flos rarus in hortis,
Papilio quoque rarus erit, florum ille parentum
Fortunam & sortem, fuerit quæcumque, sequetur.

At si lenis hyems, clemensque pepercerit Eurus
Vere novo; suavi cum flos tepefactus ab aurâ
Nascitur, & teretem trudit de caudice gemmam;
Tum sol intendit radios, blandóque calore
Ova fovet, fœtumque repenti excludit ab ovo.
Hic florum in gremio cunas habet, atque secundis
Versatur zephiris, & cœli captus amore
Emicat in tenues, formâ spectabilis, auras.

Ac primum parvâ geminum & tornatile cornu
Sub fronte excrescit, summâ quod parte retusum
Definit in globulum, maculâque intermicat albâ,
Exiguus teneris sinus est, sed lumen ocellis
Acre viget, gracili tum lingua volubilis ore
Prominet, (hanc veteres dixere proboscida) curto
Crine minor, sed lentus apex ceu tortilis anguis

Flectitur in ſpiram, florum cum lubrica ſuccos
Exprimit, adduci facilis, rursúmque remitti.
Additur & linguæ gemini cuſtodia dentis,
Qui molli aſperſus barbá, ſursúmque recurvus
Excubat ad fauces, nec quos ignara recepit
Lingua cibos temere admittit, ſed limine in ipſo
Excutit, aut frictu ſordes abſtergit amaras
Everrens; namque is teneræ lanuginis uſus
Oblatas purgare dapes; has provida curas
Exercet natura, & ſe probat inde parentem.

Quatuor, exiléſque pedes, ſimiléſque cicadæ
Corporis exiguam, ventris ſub pondere lapſi,
Suſtentant molem, nec non armantur acutis
Unguibus, his ſeſe & rigido ſuſpendere vitro
Non dubitant, nitidíſque affixi hærere feneſtris
Ad ſolem; dubios hæc excipit anchora curſus.

Subtili corpus prælongum pelle refulget
Prætereà, & læves membranâ è ſimplice pennæ
Quatuor aſſurgunt, quas ſic committit habendo
Papilio, ut binas jures non amplius alas.

Ipſa autem in varios ſcindit ſe lucida tractus,
Inſertiſque micat pennæ membranula venis
Quà felix ſucci vitalis diditur humor.
Nec modus eſt ſimplex pennas componere; cœlo
Cum volat, in latum tenſas circumrotat orbem,
Aut decreſcentis referet tibi cornua lunæ.
Si ſtetit, & ſtudio ſe contempletur inerti,
Tum vero effuſas, tanta eſt fiducia formæ,
Æmulus adverſi radiis opponere phœbi
Geſtit, & innocuo dum ventilat aëra motu,
Inſigni meritum pompâ ſibi quærit honorem.
At gravior trepidum ſonitus ſi terruit: hirtas
Contrahit attollens, junctiſque in vertice pennis
Ingenioſa ſibi ſolers tentoria fingit.
Hoc etiam valet ingratos munimen ad imbres
Non leve, nam curvi labens per lubrica tecti
Mollius unda ferit, pluviæque infringitur omnis
Impetus, obliquo dum pulſa refellitur ictu.
Forſitan hæc aliquis ſpernat, vanúmque laborem
Riſerit, anguſtâ dum Papilionis in alâ

Hæremus ſteriles rerum, fruſtráque ſagaces
Divinam levibus nugis impendimus artem.
Riſerit hæc quicumque oculis non aſpicit æquis;
At tu ſummè opifex rerum, de munere cujus
Tot varia ingentes replent animalia terras,
Inveniúntque domos, jucundáque pabula, non tu
Deſpicies inopis ſtudium laudabile muſæ.
Tu volucres, inſecta, & bruta latentia ſylvis,
Et tenuem muſcam & rabidos genus acre leones,
Formicámque, gravémque ſtupendâ mole Elephantum,
Unâ eâdémque manu, ſtudiis æqualibus author
Formaſti; non his tenero blanditus amore
Illa novercali dedignans abjicis irâ
Injuſtus duruſque pater; quæcumque creaſti
Æquus amas, falicem tu ſufficis omnibus eſcam;
Non quod te pecudum, aut moveat te cura volucrum,
Sed genus omne foves humanæ in commoda gentis.
Atque ita ſeu plenas errent manſueta per urbes,
Seu rigidis lateant animalia clauſa cavernis,

Omnibus eſt aliquis, qui ſi nos fugerit uſus;
Aut veri expertes cæca ignorantia fallit,
Aut uſus vel magnus erit, vim numinis almam
Teſtari, artificémque deum, dextrâmque potentem
Et cœlo noſtras teſtando attollere mentes.
Nunc ergo aſtrorum curſus, certoſque recurſus,
Immotáſque vices, æternáque fœdera rerum
Excutiant alii, pérque hæc fulgentia cœlo
Signa fidem expendant & numinis argumentum;
Non unquam hæc animum tentabit vana libido;
Nam quod per longos illis labor improbus annos
Sæpè negat, parvæ præſtat mihi penna volucris;
Hic ego divinam, mira inter munera formæ,
Agnoſco, venerorque manum. Nunc unde venuſtus
Tam varios alâ referat radiante colores
Papilio, & blandâ ſpecioſus luce coruſcet;
Quam ſint diverſæ diverſa inſignia prolis
Protinus expediam, nec enim color omnibus unus.

Huic ferrugineum circumligat aurea corpus
Faſcia, quam ſparſo diſtingunt muricè guttæ.

Hunc fuſcum zonæ virides, hunc candida cingit
Tænia luteolum, aut vernantem argenteus ambit
Circulus; ille micat virgis diſtinctus & albo.
Eſt qui pallentes filis nigrantibus alas,
Eſt qui pallenti nigras interſecat auro.
Hunc cineri color affinis, maculæque nitentes
Commendant, illum variantis purpura pennæ,
Et mixtus candore rubor, quem plurima circum
Cæruleo fugiens fundit ſe linea tractu.
Illum interſectæ cæca in divortia venæ,
Et crocei venis inſerti ardentibus orbes.
Pennarum hic ſummas punctis candentibus oras
Oblinit, hic vivo pallens ebur excitat oſtro;
Hic vivum piceâ ferrugine temperat oſtrum.
Hunc viden intextis rutilantem hinc inde pyropis;
Inſpice, nativos non ſic carbunculus ignes
Evibrat ardeſcens; hic ſe ſi clarus in auras
Suſtulerit, viridem credas volitare ſmaragdum.
Nec ſolus pictos pavo jactabit ocellos;
Non deerit ſimili qui ſe tueatur honore

Papilio , pulchráque ausit contendere pennâ.
Sed quid ego hic omnes generis percurrere formas
Aggredior ? numero citiùs comprendere possim,
Quam multos æstate novâ per amœna vireta
Papilio pictis flores populetur in hortis.

Sed tamen ille nitor, quo sic miserande superbis,
Exitio quondam fuerit; sua pœna decorem
Addita consequitur, nec jam velut ante per auras
Securum volitare licet, mortalibus exquo
Fallax imposuit species, rutilúsque furentem
Splendor avaritiam quæsito errore fefellit.
Heu stolidas hominum mentes! jam prisca parentum
Luxuries sileat; nobis pretiosius auro
Inventum est aliquid, dum cuncta libidine pejor
Æstimat, & studiis insanit inanibus ætas.
Postquam est exhaustum quidquid condebat avaro
Terra sinu, quidquid vasto sub gurgite pontus;
Et clades ultura suas, ultura tyrannos,
Littore ab Eoo blanda irritamina luxûs
Gentibus invexit nocituras India merces;

Vesanus stultâ furor ambitione repertas
Fastidivit opes, vilescunt optima rerum,
Neglectisque olim pondus placet addere nugis.
Hinc malefida tuis tenduntur retia pennis
Papilio, & certâ compostas classe fidelis
Capsa recondit opes. Veniunt quibus otia vitæ
Et vacuas miserans indulsit Jupiter horas.
Videris effusos circum, fixísque silentes
Comtemplari oculis, pecorum velut exta sacerdos
Consulit, & rupto fumantes pectore fibras:
Hunc variæ dispar movet inconstantia formæ,
Hic pictos roseâ sub pelle nitescere flores
Miratur, notat hic visum non ante colorem,
Et stupet, obtutúque immobilis hæret in uno.
Advolet exanimis servus, natique periclum
Nuntiet, aut tristem tecto flagrante ruinam;
Et natum pater, & perituras deserat ædes
Infelix; stolidi tanta est insania morbi.
Hinc quoque, quis credat? non magno parta labore
Fama venit; videas qui nullâ insignis ab arte

Haud aliâ ingenii laudem mercede redemit.
Aſt etiam hæ nummis, atque auri pondere nugæ
Venduntur, fragilíque ingens fit quæſtus in alâ.
Quiſquis es ille tamen, tenuis quem præmia curæ
Qualiacumque juvant; qui Papilionibus hoſtis
Bella paras, tendíſque dolos, ſpoliáſque volantes;
Ne tibi ſit generis ſpecies præſtantior ulla,
Quam quæ gemmarum pretioſo nomine fertur;
Scilicet ardentes diſcriminat unio pennas
Plurimus, illudítque oculis gratiſſimus error.

Hoc decus, has certo lucentes ordine gemmas
Roſcidus impreſſit, quo ſolo paſcitur, humor.
Nam quicumque cibus fuerit, trahit inde colorem
Papilio; hinc croceâ videas palleſcere pennâ,
Si qui in luteolis ſedem poſuere myricis.
Hinc etiam obſcuro decoratur murice, ſi quem
Suaverubens hyacintus alit; ſit candida purum
Lilia candorem miſcent, ſic ignea veſtit
Purpura puniceo gaudentem inſidere pomo.
Namque tibi, ut primum dites ſe fudit in hortos
Papilio,

Papilio, areolis errans, ut cuique libido eſt,
Inſpectátque omnes, florémque ex omnibus unum
Eligit, intactos ardens cui portet amores.
Hic chaltam legit, ille roſam, mollem ille amaranthum,
Hunc trahit eximios pandens tulippa decores,
Hunc clytie, hunc viola, hunc narciſſi gratia tangit.
Ergo quiſque ſuum ſequitur, gremióque volentis
Exceptus pennis blanditur, & oſcula libat,
Vitaléſque cavâ ducit promuſcide ſuccos.
Hic tenerum corpus folia inter picta volutat,
Hic amat aſſiduos ludendo condere ſoles;
Sæpè fugam malus aſſimulat, voluítque videri
Abrupiſſe fidem, dum ſe ſubducit amanti;
Mox revolat, florémque alâ ſolatur amicâ,
Blanditiáſque addit molles, molléſque ſuſurros.
Hic etiam, ſerâ poſtquam ſe nocte recepit,
Gaudet felices incluſus carpere ſomnos,
Securúſque latet, dum pignus dulce premendo
Flos tegit, & foliis ſuper excubat ipſe reductis.

Simplicitas adeo eſt, adeo conſtantia vilis.

At ſuccis omnes ſaturati dulcibus umbras
Et nemora alta petunt, quo rarâ luce malignus
Inſinuet Titan. Hic ſpiſſi turbinis inſtar
Ire coloratam cælo mirabere nubem,
Aut etiam planâ compoſtos ſæpe figurâ,
Et rectæ crucis in morem longo ordine ſurſum
Tollere ſe, ſenſimque uno deſcendere tractu,
Dum varios fingunt incerta examina luſus.
Non odia inter ſe exercent, aut impia tentant
Prælia, non triſtes populo incubuere Tyranni;
Omnes unus amor conſtanti fœdere jungit,
Præcipuè queis forma eadem & communis origo
Gentilem nam quiſque ſuum vel in agmine denſo
Dignoſcit, cui ſe mirâ dulcedine captus
Admovet, atque alios diversâ è gente relinquit.

At ſolem Perſæ non ſic venerantur & Indi.
Illius immiſſos ut luxuriante calores
Excipiunt pennâ! námque hæc vel ſumma voluptas
Sole frui, ſoliſque æſtus ſentire benignos.

Fœcunda innumeris hinc Papilionibus æſtas
Pullulat, autumni ſub frigora prima recedunt,
Partem abſumit hyems, tepidis pars denſa latebris
Clauditur, exactis melior dum menſibus annus
Optatum roſeo ſolem cum vere reducat.
Hic fractas reficit calefacto corpore vires
Igneus, inſpirátque novum per membra vigorem.
Illum & ſurgentem pennâ fremitúque ſalutant,
Et, cum luſtrato præceps fugit orbe, requirunt.

Hinc ſæpè ancipites primâ ſub nocte per umbras
Pervolitat ſeros accenſæ lampadis ignes
Papilio, rutilæ deceptus imagine lucis.
Ergo nocturni ſi fortè refulſerit aura
Luminis, ecce tibi ſplendore excîtus amico
Advolat, imprudénſque ſuo ſub funere ludit,
Dum facis ardentes tremulus circumſtrepit oras,
Jámque adeo afflatæ calidâ fuligine pennæ
Non ſemel inſtantis poterant monuiſſe pericli,
Si ſineret, ſed vincit amor; nec ſegnius acres
Inſidias lychni, atque errantis retia flammæ

Impatiens, certæque necis contemptor oberrat.
At dum per medios se confidentior ignes
Præcipitat, cadit exanimis, viscóque retentus
Pendet in abruptum semiustâ torridus alâ,
Et flammæ ignoscit moriens. Miseraris acerbum
Funus, & illusam vano fulgore volucrem;
Te tamen error agit similis, similísque furentem
Pœna manet, quem dulce malum, quem vanus honorum
Fucus, & ambitio fallax, quem perfidus aulæ
Fulgor, & objectâ percellit luce voluptas.
I, sequere ardentem fortunam, & splendida regum
Atria, spe longum miser heu! lactandus inani;
Sed dùm mendaci deceptus imagine pompæ
Incautâ circumvolitas incendia pennâ,
Te tristis demum manet exitus: hanc tibi legem
Papilio sævâ pendens è lampade dicit.





GALLINÆ.

GALLINAM quæ cura juvet, quæ cura marito
Conveniat, teneris quanta experientia pullis,
Quàm variæ gentis species, quæ fœnora præstet,
Tum Gallorum animos, irasque & prælia dicam.
Exiguum molimur opus, parvámque secuti
Materiem, haud firmis ad Pindum nitimur alis.
At tu quodcunque est studium ne temne Poëtæ
Phœbe, nec Aonios pigeat recludere fontes:
Non semper diras acies, & jurgia Regum
Dicere amas, vel quos pepererunt bella triumphos.
Tu segetes, nemorúmque umbras, tu roscida mella
Lusisti, & blando fugientem murmure rivum;
Hàc te Phœbe sequor, tua per vestigia gressum
Ferre juvat, rurisque intactos carpere flores.
Indictæ jucunda fero spectacula gentis,

Ac si bella placent, non deerunt hic quoque bella.
Tantum ades, atque brevem divinæ particulam auræ
Misce animo, & steriles numeris da vincere nugas:
Vosque mihi erectis, gens ante ingloria, cristis,
Præcipuum vestris addo si rebus honorem,
Plaudite Gallinæ, motaque assurgite penna.

Principio cortem qui pascere curat opimam,
Liberiore solo tecta inter agrestia campum
Designet, ponátque domos, ubi sedula mater
Et sese & totam possit componere prolem.
Contiguum antiqui tectum voluere culinæ,
Posset ubi nidis fumum transferre salubrem
Furnus, & immisso pullos recreare calore.
Tu sapiens morem hunc, tenuis quia fructus in illo est,
Rejice; magna levem superant incommoda fructum.
Scilicet immundo vicinam sæpe culinam
Inficeret Gallina fimo, aut clamoribus ægris
Turbaret Domini placidam importuna quietem.
Tu genti semota lares præsepia circum
Extrue, & à dominâ, quantum licet, exulet æde.

Ipſa autem ſurgant cæmento ſtructa tenaci,
Quæ protenſa pedes pateant non amplius octo,
Et ſurſum inflexo curventur fornice tecta.
Sunt tamen impenſæ parci qui paupere culmo
Summa tegant. Juſto imprudens cave parcere ſumptu,
Atque omnem fornix tibi deſuper ambiat oram,
Nec vana eſt ea cura: Æſtivos ille calores
Temperat, & frigus brumæ intractabilis arcet.
Præterea infeſtis, ſerpunt quæ plurima, monſtris
Intercludit iter, nec diris dentibus uſquam
Rodendo, tectum jurati perdere mures
Proficient, Muſtela dolos plorabit inanes,
Atque alibi prædam Martes fruſtrata requiret.
Sed ne ſubter humum furtivo irrepere poſſint
Allapſu, cocto ſubſternes imbrice tectum.

Nunc age & æquales ſtrue foſſo in pariete nidos,
Quorum ut collectas poſſis abſtergere ſordes,
Mobilibus latera & fundum veſtire juvabit
Aſſeribus, certo interdum quos tempore purges.
Ni facias, pura immundum Gallina cubile

Si quando implumes cupias invisere fœtus.
Exin opposito distantes ore fenestræ
Hybernum aspectent solem, quarum altera luci
Pervia cuspidibus defensa horrebit acutis:
At matri, teneræque aditum dabit altera proli;
Quò sese infirmis si fortè extollere pennis
Non valeant, scalam breviorem apponere muro
Quis dubitet, gradibusque viam distinguere certis?
Sed longè à tecto mundisque cubilibus absit
Turpis odor; purum sit cura fovere nitorem,
Et calx in niveis resplendeat illita muris.
Interea patulos late rubus hospita ramos
Explicet, aut faciles spargant arbuscula circum
Fusa comas, pullis factura & matribus umbram.
Adsint & puris haustæ de fontibus undæ,
Quæ fudibus fossis, exesi aut pumice saxi
Inclusæ, pecoris blandi serventur in usus,
Si quando siccas uret sitis arida fauces.
Sed ne contractis illimem sordibus undam
Corrumpant, cœnóque liquor torpescat inerti,

Pallentéſque ferat vitiato flumine morbos :
Anguſtas hinc inde memor diſpone feneſtras ,
Et pateant uni breviora foramina collo.

Jam fœtas ſtabulis opus eſt inducere matres.
At non illa ferum ſpectat cuſtodia ſolers
Agricolam ; timidas terreret ſæpe volucres
Barbarus , armentis melior taurı́ſque domandis.
Fœmineas ea cura manus & lene requirit
Obſequium , uxorem ſtudia hæc leviora manebunt.

Ipſe quidem validus membris & mole per arva
Imperet , ac putres proſcindat vomere glebas ,
Pinguiáque inverſis committat ſemina ſulcis :
Non minùs interea ſervabit caſta pudicos
Sponſa lares , aderunt præcinctæ ex ordine natæ ,
Omnes virgineum ſpirantes ore pudorem ,
Omnes penſa levi volventes mollia fuſo.
Ipſa ſedet media , & fabellas narrat aniles.
Poſtquam autem tenui duxerunt otia lanâ ,
Quid vetat ut teneris mater comitata puellis
Vincta comam , & tunicas collecta ex more fluentes

Invisat stabula, & plenis premat ubera vaccis,
Aut vocet ad fluvium, aut infirmos tondeat agnos.
Tunc etiam grato accedat Gallina labori;
Huic dulces ferat ipsa cibos miliaria grana,
Ováque secretis dispersa recolligat antris:
Mox subeat tecto, atque hesternâ fæce madentes
Molle pecus miserans, expurget sedula nidos.

Nunc age quæ potior soboles, quæ forma tenellas,
Quas legis, ut gentis ponant fundamina, matres,
Commendet, summum hîc prudens impende laborem.

Optima sit facili quæ fert in corpore fuscum
Nec major nec mole minor Gallina colorem.
Fusca placet medico, fuscam quoque laudat agrestis,
Et laudat quia crebra parit fœcondior ova,
Ova graves dulci morbos pellentia succo.
Ne demens illâ quæras in gente nitorem;
Quòd si adeo placeat pictarum forma volucrum
Quæ recreet, pompáque oculos tibi pascat inani;
Adverso varios imitetur sole colores
Pavo nitens, plenóque superbus obambulet agro;

Et caudâ, & pictis ſpectacula pandat ocellis:
Fructum in Gallinâ quære, in pavone decorem.
Verùm illi ſuus eſt etiam lepor: oris amœni
Gratia, compoſiti concinna modeſtia greſſus,
Quæ ſummo rutilant hilares in vertice criſtæ,
Et color in pictis variat qui ſæpius alis,
Addunt ingenuæ decora haud ſpernenda volucri.
Quòd ſi ingens capiti criſta inclinata recumbat,
Lætum omen, centum illa feret complexa nepotes.
Sæpe adeo magnam ex unâ mirabere gentem
Prodiiſſe: aſt illi numeroſâ prole ſuperbam
Stipant, & tenui venerantur murmure matrem.
Tu memor effœtæ ſenium miſerere parentis:
Talem haud parva decet merces & gratia partum.
At cui luteolo flaveſcunt crura colore,
Hæc melior menſæ, & nulli ceſſura volucrum
Eximium referet ſpecioſâ in carne ſaporem.
Sunt etiam quibus elato calcaria cruri
Altiùs emineant nocitura tepentibus ovis.
Vidi egomet cùm ſæpe parens, dum fœtibus ultro

Incubat, inspirans animam, blandúmque calorem,
Frangeret illisis miserùm calcaribus: illa
Nequicquam incusat sese, diffunditur ovum,
Squallentesque atrâ funestat imagine nidos.
Tu fer opem, durumque pius prævertere casum
Impiger exiguos à partu surripe fœtus;
Magnorum inde olim visuram prandia Regum
Conde domi, matremque cibis melioribus altor
Pasce saginandam; nec vanum crede laborem,
Præsertim Gallum si provocet æmula cantu,
Aut etiam rostro, & petulanti sæpius ungue
Scalpat humum: tum quas propriâ secluseris æde
Quondam in delicias mensarum, sedulus omni
Arte fove; & quanquam longum gemet ægra volucris,
Et capiti & femori crescentes detrahe plumas.
Tum milii granum, tum corbibus hordea plenis,
Concisúmque feres meliora in pabula panem,
Nec non attritas misto cum furfure glandes.
Hi placuere sibi, nec longum tempus, & ecce
Pro volucri densam carnis mirabere molem.

Væneat hæc auro, & spretâ perdice, volucres
Ante alias cœnis Regum dominetur opimis,
Difficilisque superba gulæ fastidia vincat.
Quod si desidiâ Gallina hebetetur inerti,
Et crassum nimiâ peccet pinguedine corpus,
Non lætum macie accitâ tu corrige luxum,
Copia sæpe nocet: metuenda hinc damna cavebis
Potandæ gracilem si cretam infuderis undæ,
Pulvereúmque cibis laterem, hinc vis improba crassam
Luxuriem arrodens edit, & vitium excoquit omne.
Verùm ubi molle pecus vario distinxeris usu,
Pro specie fata imponens diversa, legendus
Quem statuas pecorisque ducem, pecorisque maritum.
Gallus erit cristâ elatâ, collóque comanti
Conspicuus, cui non volucris certaverit ulla:
Ingentes animos, majestatémque decoram
Spiranti; medius turbâ comitante suorum,
Agmina si quando campis agit: ipse verendus
Dat placidas populo leges & jura volenti

Dux gregis, & collo ſupereminet arduus omnes.
Hunc ſi, quæ varias commendat forma volucres,
Non decoret, ſi nec per collum effulgeat Iris
Splendida, pérque ſinus, nec verſicoloribus alis
Purior inſideat gemmis & murice cultus,
Si cantu nec luſciniæ, nec acanthidi certet,
O quanta exiguas compenſant munera dotes!
Flebilibus rupes moveat philomela querelis,
Illius ad cantum trepidi fugere Leones.
Quin ubi cæruleis ſol emerſurus ab undis
Jungit equos curru, lucis prænuntius ales
Tum canit, & lætà ſurgentem voce ſalutat,
Ac tremulis plaudens diverberat ilia pennis.
Ille etiam cantu currentes dividit horas,
Temporáque ad varios metitur juſta labores.
Idem ubi devexos ſol tingit in æquore currus,
Dilectamque diem mundo eripit, anxius omni
Nocte ſilet, donec fuſo per membra ſopore,
Irrequieta brevi declinet lumina ſomno.
Diis olim ſacer, & cælo commercia inire

Creditus, incertósque augur prædicere casus.
Roma adeo hunc priscum servabat maxima morem,
Roma triumphatrix populorum; quæque superbos
Imperium Oceano extendens, subjecerat hostes,
Et Numidam & celerem Parthum, Cimbrumque ferocem,
Ac detrectantes incassum fræna Sicambros;
Horruit egregiæ nutus, cantúmque volucris.
Nequicquam bellum populo suadente senatus
Censuerat, Gallus Romana edicta refixit;
Et quamvis avidæ statuissent signa phalanges,
Ni facilis Gallus responsa optata tulisset,
Signa nefas ultrà damnatis vellere castris.
Præterea gentem latè dominatur in omnem
Natus ad imperium. Quin ipsi magnus honoris
Sensus inest, grandique tument præcordia fastu;
Et vinci pudor, & vincendi summa cupido.
Sed quoniam generi varia est natura creando,
Hæc potior soboles, cui justæ corpora molis,
Et cui nigrantes crescunt in corpore plumæ.

Ille pedes habeat densos, atque unguibus acres,
Et rigida è croceis calcaria cruribus extent.
Pingue femur, latum pectus, rostrúmque recurvum
Ac breve; lucentes plumæ per candida colla,
Quale decus pulchris tribuit natura columbis.
Purpuream ac duplicem cervix ferat ardua cristam;
Ingenuique micent oculis nigrantibus ignes.
Tum plumis rigeant firmatæ grandibus alæ,
Caudáque cervicem supra revocata coronet.

Talis erit pecori quem præfecisse tenello
Rite voles: denis nec non & pluribus unus
Sufficiet, dux ipse viæ, dux ipse laboris,
Dat signum cantu & timidum præit arduus agmen,
Seu gelidum ad fontem, seu nota ad pabula ducat.

Hic honor, hoc emitur vel vitâ & sanguine regnum,
Nec dubitant tali letum mercede pacisci.
Hinc sæpe ingentes motus innata creavit
Ambitio, geminósque inter civilia gallos
Non semel insano bella exarsere tumultu;
Inventusque illis Cæsar suus, & gener alter,

Nec non Æmathios referentia prælia campos,
Et decertantes populo pereunte tyranni.
Sæpe & rivales amor, aut furor acer, amoris
Consortem haud patiens, ad pugnam exire coëgit,
Nec sua deest Helene genti, quæ sanguine amantûm
Dotetur, jubcátque procos decernere rostro.

Ergo in fatalem postquam descendere arenam
Fixum animis, litemque æquo rescindere marte,
Seu regnum, seu suadet amor; mora nulla per auras
Stridens horrifico crebrescit murmure clangor,
Sævâque concussi trepidantibus ilia pennis
Unguibus exacuunt, pugnæ præludia, rostrum.
Interea crevit furor, & concurrere uterque
Impatiens, stetit intrepidos arrectus in ungues
Igneus, & vibrans exerto sibila collo.
Attonitæ visu matres ac vulgus inermum
Diffugere: illi non segnius impete facto
Incurrunt, & in ora volant. Offensa fragorem
Rostra dedere, oculis arsere furentibus ignes;
Hinc magis accenso connixus pectore uterque

Sævit, & adversum sese ejaculatur in hostem,
Exitium, mortémque minans; tum vulnere crebro
Crura petunt, nudósque sinus, plumásque revellunt
Unguibus, & rostro miserabile membra cruentant.
Quales gramineo si quando in litore tauri
Obnixi adversis luctantur frontibus, æther
Assonat, & strepitu litus procul omne remugit.
Haud secus ardentes instant in prælia Galli,
Donec deficiens, & fractis viribus impar
Victorem minor agnoscat; fugit, & lacera ægrè
Membra trahens, stabulis cedit communibus exul
Victori magnum imperium palmámque relinquens.
Solem odit, tacitísque probri memor abditur umbris;
Ni faciat linguis ultro insectetur amaris
Improba gens, miserúmque jocis crudelibus urat.
At victor parto imperio, palmáque superbus
Attollit tumidum cælo caput, ætheráque altum
Sæpius aspectans proprio accinit ipse triumpho.
Dispersas blandâ revocat dein voce sorores,
Et placidâ socii securus regnat in aulâ.

Nec soli semper, populo spectante, duello
Conflixere duces, at seditione coortâ
Sæpe omnem tetra involvit discordia gentem.
Et jam ductores distinctis agmina turmis
Explicuere, feritque horrendus sibilus auras,
Jam rostra exertant, infensóque ungue minantur.
At tu rumpe moras, & dum res integra, dumque
Arma parant, oculis coram improvisus acerbis,
Fuste minax, vultúque ferox occurre furenti;
Te viso ponant iras, & martis amorem
Illicet, ac notos petat omnis turma penates.

Quin, totam in gentem ne dira licentia serpat
Latiùs, & sævis assuescant denique pugnis;
Quem toto insignem conspexeris agmine ferri
Per medias volitantem acies, & gutture sævo
Incendentem animos, pigrasque ad bella trahentem,
Dede neci sceleris caput, auctorémque tumultûs,
Et jugulum duro vindex mucrone resolve.
Haud quisquam vetito posthac concedere marti
Audebit, placidâ sedes in pace fovebunt,

Et ſolitum domino ſua pendent ova tributum:
Curarum hæc merces, nec fœtus edere ceſſant,
Ni quondam miſeris frigus crudele calorem
Eripiat, ſteriléſque hyemis violentia reddat.
Quidam fomentis inimicum vincere frigus
Tentarunt, dulceſque ſuo non tempore fœtus
Latonâ invitâ blandæ extorquere volucri.
Quàm vigiles curas, ſtudia & quàm multa requirit
Hic labor! hæc quantis naſcuntur ſumptibus ova!
Vix adeò ſuperent, fuerint licèt aurea, ſumptum.
Ergo, dum ſterilis viget inclementia brumæ,
Ah! ſine frigidulis ignavas degere nidis,
Neve brevem invideas quam dat natura quietem.
Ver modo cum zephyris & amico ſole redibit,
Ereptóſque priùs naturæ reddet honores.
Tunc volucrum genus omne, genus tunc omne ferarum
Egreſſæ latebris cælo meliore fruentur.
Tum ſua ſollicitæ renovabunt fœdera matres,
Et data multiplici penſabunt otia partu.
Omnibus unus amor caris inſiſtere tectis.

Multæ adeo fœtus etiam cum solibus æquant;
Sæpe & dum grato indulgent sine more labori,
Defecere, ultróque animam effudere parentes.
Et quoniam teneræ haud parcunt fata impia genti,
Mórsque premit, spatióque brevi discluditur ævum,
(Nam sextæ rarò senserunt frigora brumæ)
Tu tristes leti reparare incumbe ruinas,
Nec cesset natus patrio succedere regno.
Ergo suis studiosa parens super incubet ovis,
Unde tener rupto exiliat mox carcere pullus.
Ipsa quidem haud aliâ dubii fastidia partûs
Spe tulit; at quoties miseram frustrata parentem
Perfida spem casu sors intercepit iniquo!
Instat enim Vulpes, Martésque domestica, furtis
Famosæ, aut alios ova asservantur in usus.
At tu qui studiis indulges talibus, ova
Ne temere cuivis supponas singula matri;
Verùm majori quæ mole & pondere præstant,
Elige spem gentis, validósque datura nepotes,
Atque illa ut certis valeas distinguere signis,

Pauca

Pauca feram. Puro perfusam flumine pelvim
Dispones, vasique immerges ova profundo.
Subjectis quodcunque impar enaverit undis
Rejice; degenerem leviori semine prolem
Arguit, at fundo quæ pondere victa jacebunt,
Ne dubites quamprimùm avidæ submittere matri.
Hoc facies zephyris primùm spirantibus, & cùm
Ostendit cælo crescentia cornua Phæbe.

Nec minor interea est matri delectus habendus,
Quæ melior blandos inspiret fœtibus ignes.
Si qua duos nondum, vel si jam quatuor annos
Attigit, aut glocitare solet, pigrámve quietem
Odit, & in læto juveniliter exilit arvo;
Si qua ullis nescit mansuescere barbara curis,
His cave supponas imprudens matribus ova.

Ast ubi de populo potiorem elegeris omni
Gallinam, nidos primùm purgabis olentes
Sedulus, & multo medicatos flore parabis.
Tum paleâ aut fœno substernes tecta tepenti;
Ac ne aliena fames, justi & penuria victûs

Præcipiat dulces interdum abrumpere curas,
Appones ipsis & potum & pabula nidis.
Ipsa haud ingratum trahet indefessa laborem,
Donec ter septem revolutis deinde diebus,
Prodeat implumis calefacto pullus ab ovo.

Hîc mihi si tacitas naturæ inquirere partes,
Inque suam liceat mysteria promere lucem,
Mira canam, nullísque priùs memorata poëtis.
Unde ovum, unde ipso pullus generetur ab ovo,
Quid vario fibræ componant corpora nexu,
In suaque ut sese semen genitabile membra
Explicet, atque rudes informet spiritus artus;
Tantâ latent vel in exiguâ miracula mole!
In tenui tanta est naturæ industria pullo!
Ipsa quidem miro spectabilis ordine rerum,
Sive reluctantem præscripto fine coercet
Oceanum, æterno seu librat sidera motu,
Quamvis eximiâ mundum informaverit arte
Mater, & ipsa suos stupeat natura labores,
Non est in tenui minùs admirabilis ovo.

Nam ſpina extremo quâ ſe tergore condit,
Hic laxa excreſcit, raríſque ſimillima fungis
Materies, ſtricto quam magna arteria nexu
Amplexam fovet, atque uteri ſuſpendit ad oram.
Hinc teneri pendent velut è radice vitelli,
Quot videas [illegible] ex uvâ pendere racemos.
Ipſa autem, tunicâ circum ſinuante, vitellum
Involvit [illegible], & libera colla relinquens,
Suſpendit fragili libratum innoxia ſacco.
Dat quoque præterea tenuis commercia nodus,
Quà per diſpoſitos infuſa alimenta canales
In tenerum inſinuant, & dant quoque creſcere corpus.
Exiguum id primo, granóque affine ſinapis
Caneſcit, ſucco deinde albeſcente tumeſcens
Induitur croceum, ſervátque in pelle colorem.
Verum ubi materno nutritum ſanguine juſtam
Augendo excepit molem, nec jam datur ultra
Creſcere, tum veluti maturus ab arbore fructus
Mole ſuâ nodum abrumpit, primáque relictâ
Exuviæ, in vacuam matris delabitur alvum.

F ij

At non deinde tener ſuſcepto humore vitellus
Paſcitur interiùs, ſed denſi tuberis inſtar
Nutritur, craſſi collecta uligine ventris,
Dum ſe per ſalebras uteri convolvit inertes.
Tum geminum, geminóque albumen tegmine cinctum
Aſſumens, nodo duplici ſibi nectit utrumque.
Adde cicatricem, modicæ quæ proxima lenti
In medio latitat vix agnoſcenda vitello.
Tandem ex delapſo concretum humore putamen
Omnem materiam felici carcere claudit.
Præterea tenerum quâ parte obtuſius ovum,
Tange, cavum ſonat, & ſpatio gemit intus inani;
Omnia quæ poſtquam gravidâ perfecit in alvo,
Tum demum facili mater ſe pondere ſolvit.

Et jam depoſito gaudens ſuperincubat ovo
Feſſa licèt partu, & ſtudio fallente laborem,
Vitalem inſpirat noctúque diúque calorem.
Aſt ovum infuſos dum lente concipit ignes,
Fit vacuum magis atque magis; námque ignibus actus
Senſim ſubtilis rareſcit & avolat humor.

Tum macula in fulvo rutilat quæ parva vitello,
Augetur, vacuámque tumescens fertur ad oram.
Dein se se in liquidos extendens dividit orbes,
Unde duplex varium referens membrana liquorem
Paulatim turget, quorum alter limpidus, alter
Crassior, in rivum coierunt donec eundem.

Quattuor at postquam totos ex ordine soles
Incubuit fœtu mater studiosa tepenti,
Purpureo humorem circum ambit linea filo,
Centróque in medio stat ubi signata cicatrix,
Sanguineum fulget, cordis primordia, punctum.
Inde per instructos diverso errore meatus,
Ad filum geminæ salientes sanguine venæ
Ducuntur, junctisque ineunt commercia rivis.
Nec mora, purpureum vesicæ tegmine punctum
Cingitur, & totidem vesicis mollibus aures
Deinde asciscuntur, cordis quæ tota supellex.
Et jam nescio quod flexis affine carinis
Paulatim surgit concreto è flumine corpus.
Huic aliud majus majori appenditur arte

Diſtinctum quatuor levibus mirabile bullis.
Corporis illud erat jam ſe formantis origo.
Quatuor iſtæ autem quæ ſunt pro vertice bullæ
Ingeminos oculorum orbes, cerebrum & cerebellum
Evadunt; reliquum exiguo poſt tempore corpus
Perficitur, teneris tunicæ adnaſcuntur ocellis,
Conſtructa apparent jam viſcera, cùmque tumenti
Sanguificum pulmone jecur, jam crura, pedéſque,
Jam pennæ excreſcunt, fœtúſque ſubinde movetur,
Navitiſque caput, queis innatat, erigit undis.
Interea nondum veſtito corpore, pulli
Anteriora patent, & pendent viſcera, donec
Quatuor atque decem faſtidia longa dierum,
Et dubios partûs mater ſit paſſa labores.
Tunc liquidum, teſtâ circum accreſcente, cerebrum
Clauditur, & molli conduntur viſcera clauſtro.
Ut pauci fluxere dies, albeſcere ſenſim
Incipit enatâ circum lanugine pellis,
Creſcentéſque ſuper veniunt in corpore plumæ;
Inde pipit pullus, fractoque putamine victor

Exilit, atque novâ fruitur jam lætior aurâ.
O fortunatam pertentant quanta parentem
Gaudia, dum teneris ipſam garritibus ultro
Circumſtant, blæsóque agnoſcunt gutture pulli!
Quales vagitus cunis in mollibus infans
Dat tener, at nutrix palpando mulcet alumnum,
Conciliatque leves, agitans cunabula, ſomnos.
Haud ſecus implumes mater fovet optima fœtus,
Inde ipſos calatho cui plurima veſtiat oras
Stupa, vel avulſæ proprio de corpore plumæ
Deponit, tepidiſque fovet denſiſſima pennis.
Quis referat quantos pro carâ prole labores
Suſtineat, quantæ diſtendant viſcera curæ;
Dum ſtudium pullos mater communis in omnes
Partitur, cunctos vigilans avertere caſus.
Si verò, quoniam frigus non ſuſtinet ætas
Mollior, immites tentabunt corpora morbi,
Dulcibus in tectis graveolentes protinus herbas
Proderit, & floris rorem ſparſiſſe marini.
Námque inde occultas recreata animalia vires

Concipiunt, vitiumque emendat purior aura.
Sin autem lapſa humenti pituita cerebro
Summæ paulatim incipiat lenteſcere linguæ,
Ah! ne letiferam ſpernas avertere peſtem.
Iam dum querulæ ramis frondentibus errant,
Deteſtantur aves; nam cùm violentior ardet
Sirius, aut curvâ flaventes meſſor ariſtas
Falce metit, ſilvas hæc longum impune vagatur
Dira lues, pérque aligeram dat funera gentem.
Labitur infelix fagi de vertice paſſer
Deficiens, dulcémque animam ſub fronde relinquit.
Ergo ubi corrupto pullorum inſederit ore
Triſte malum (quod te ſigna haud incerta docebunt,
Namque ſimul ſummam candenti cruſta colore
Impediet linguam, & tractanti dura reſiſtet)
Tu medicas morbis adhibere recentibus artes.
Ne differ, magnas acquirit tempore vires
Ulcus, & ægreſcit nullis ſanabile curis.
Id metuens, ubi ſe morbus ſigno indice prodet,
Rumpe moras, & dum licet, ab radicibus imis

Hærentem linguæ festina avellere crustam;
Ipsa manum facilis, nondum inveterata sequetur.
Sæpe autem tantùm invaluit, nec jam amplius hæret
Extremæ, ulteriùs serpens contagio, linguæ.
Hic gravior tentanda via est, violentius adsit
Auxiliúmque, manúsque, artísque severior usus.
Tum castigatis primùm jejunia mensis
Indico: vidi & pennam qui naribus ipsis
Insererent, pennam alternâ quam luce moverent,
Tristia crudeli frænantes ora capistro.
Vidi & qui dapibus miscerent acria parcis
Allia, vel pressos alba de vite racemos.
Profuit & mersas, in quâ Strix laverat undâ,
Porrexisse olim pullis languentibus escas.
Hanc pestem, morbique genus præverterit omne
Cui labor undantem nidis inducere fumum;
Scilicet impuras fumi vis ignea sedes
Expiat, & muris sudorem abstergit iniquum.
Sin autem tristi dum languent corpora morbo,
Victa malo nullam tulerit medicina salutem,

Tabidaque inſinuans circum præcordia virus
Hauſerit infelicem animam, tunc viſcera mater
Multa gemens quatit, & miſerando funera luctu
Proſequitur, preſſi mœrent ad pectora pulli,
Fraternâ primos experti morte dolores.

Ergo diem exoſi porrectas mortis amore
Rejecere dapes, oculóſque cadavere paſcunt.
Tu miſeris ſuccurre pius, fœdúmque cadaver,
Ne mala crudelem foveant ſpectacula luctum,
Ejice, tum ſuccis gratas melioribus herbas
Apponens, dulci mœrorem vince ſapore.
Inde brevi mortis lacrymoſa recedit imago,
Inſtaurátque ſuos mater relevata labores.

Poſt ubi jam raræ pullorum corpora plumæ
Veſtierint, poterúntque ſuis inſiſtere plantis;
Tunc ego, ſi zephyri ſpiret clementior aura,
Purior & terris diffundat lumina Titan,
Excurſus cum matre breves tentare per arva,
Interdum & jubeam cælo meliore potiri.
Magna quidem hinc ſenſim pecus incrementa tenellum

Accipit, atque novo firmantur robore membra.

Altera tum ſtudia, atque novæ ſuccedere curæ.
Ducendi ad rivos, præbenda alimenta, ſalubres
Monſtrandæ, & ſuccis nocituræ triſtibus herbæ.
Tum verò indociles tecto ſi longiùs abſunt,
Mater inexpertæ ſemper timet anxia proli,
Ne lateat Vulpes avida, aut ſpeculatus ab alto
Milvus in incautam facto ruat impete gentem.
Quos dum ſollicitâ volvit ſub mente timores,
Advolat, & crebris revocatos vocibus ultro
Increpat iratæ ſimilis: Convivia vulpi
Num præbere velint, aut acrem paſcere milvum.


Qui medio quondam ſi viſus in aëre ferri
Terribilis roſtro exerto, & ſtridentibus alis;
Continuò ſubitus trepidantia viſcera pullis
Pertentat pavor, & tanto in diſcrimine rerum
Confugiunt denſi tremefactæ matris ad alas,
Collectíque metu parvum agglomerantur in orbem,
Si poſſent condi maternâ rurſus in alvo.
At mater furibunda oculos defixit in hoſtem

Obſervans, & certa mori; fugit ille per auras
Multa minans, ſævæque timet concurrere matri.

Poſt ubi firmato jam corpore grandior ætas
Venerit, & poterunt non jam cuſtodis egentes
Ire viam ſoli, & noto ſe credere campo;
Cuique ſuam prudens librato examine ſortem
Impones, ſeu quos obſcuro in carcere pullos
Magnatum lautis placeat pingueſcere menſis,
Seu quas longævæ placeat ſuccedere matri,
Atque novam ex ſe ſe generando educere prolem!
Quem tenero imperitare gregi, quémve in grege capum
Eſſe velis, & hic ad varios erit utilis uſus.
Tum teneris rurſum curas impendere nidis,
Tum pullos rurſum, gravidaſque fovere parentes.
Sic rediere novi, verſo velut orbe, labores.

Hæc ego Neuſtriacâ degens tellure canebam,
Attonitis Rheni dum Gallus victor in oris
Feſta triumphali præcingit tempora lauro.
Jam Stenkerkæi fumarant ſanguine campi.

Tu quoque, prætentas muris dum fulminat arces,
Et trepidum aſpectu LUDOVICUS territat
hoſtem,
Lugens corrueras (triplici licèt ordine vallum
Surgeret, & grandes regnarent undique foſſæ)
Spectante AURIACO, BATAVO indignante,
NAMURCUM.





MONOLOGUE D'AUGUSTE

Tiré de la Tragedie de Cinna. Acte IV. Scene II.

Traduit en vers latins.

AUGUSTE.

Ciel à qui voulez-vous désormais que je fie
Les secrets de mon ame, & le soin de ma vie?
Reprenez le pouvoir que vous m'avez commis,
Si donnant des sujets il ôte les amis;
Si tel est le destin des grandeurs souveraines,
Que leurs plus grands bienfaits n'attirent que des haines,
Et si vôtre rigueur les condamne à chérir,
Ceux que vous animez, à les faire perir,
Pour elles rien n'est sûr, qui peut tout, doit tout craindre.

Rentre en toi-même, Octave, & cesse de te plaindre,



EX.

VERSIBUS GALLICIS PETRI CORNELII

In Tragediâ cujus argumentum Cinna. Actus IV. Scenâ II.

AUGUSTUS.

CUi demum arcanos animi me credere sensus
Fas erit o superi, & curam committere vitæ?
Vobis sceptra libens reddo, si tollit amicos
Imperium, atque hostes facit invidiosa potestas;
Si donis, multóque odium mercamur amore,
Si sic fata jubent, & nos fovisse necesse est
Quos furiis in nos eadem crudelibus armant.
Nulla fides regno, nil tutum in sede supremâ,
Et qui cuncta potest, cunctis diffidere verum est.
Quid tamen Octavi quereris, cœlumque fatigas

Quoi tu veux qu'on t'épargne & n'as rien épargné?
Songe aux fleuves de sang où ton bras s'est baigné,
De combien ont rougi les champs de Macedoine,
Combien en a versé la défaite d'Antoine,
Combien celle de Sexte, & revoi tout d'un temps
Perouse au sien noyée avec ses habitans.

Remets dans ton esprit aprés tant de carnages
De tes proscriptions les sanglantes images,
Où toi-même des tiens devenu le bourreau,
Au sein de ton tuteur enfonças le couteau.
Et puis ose accuser le destin d'injustice,
Quand tu vois que les tiens s'arment pour ton supplice,
Et si par ton exemple à ta perte guidez,
Ils violent des droits que tu n'as pas gardez;
La trahison est juste, & le ciel l'autorise,
Quitte ta dignité comme tu l'as acquise,
Rens un sang infidéle à l'infidélité,
Et souffre des ingrats aprés l'avoir été.

Reſpice te tandem finémque impone querelis.
Ignoſci tibi nempe, ignoſcere neſcius ulli
Poſſe putas ? Tibi non oculis mentíque recurſant
Brachia civili numquam exſaturata cruore ?
Quin duce te quantâ rubuerunt cœde Philippi
Reſpectas ? Sævam Antoni reminiſcere cladem ;
His adde & Sextum, multâque in cæde natantem
Peruſiam atque ſuo merſos in ſanguine cives.

Pejora adde etiam truculentæ fœdera pacis,
Ferales tabulas, proſcriptáque nomina mille,
Cum cœdis, ſcelerîſque avidus, tortorque tuorum
Ipſo tutoris fixiſti in pectore telum.
E. fatum poſthac aude incuſare querendo,
Te monſtrante, tuum ſi nunc in funus amici
Conſpirant, & te, facti ad ſcelus omne, magiſtro
Qui violant leges, quas tu violare docebas.
Debita proditio, fatum hanc & Jupiter autor
Approbat, & dubitas, & adhùc ignave moraris
Per cædem parto, per cædem excedere regno ;
Da nunc perfidiæ quas debes perfide pœnas

Mais que mon jugement au besoin m'abandonne,
Quelle fureur Cinna m'accuse & te pardonne,
Toi dont la trahison me force à retenir
Ce pouvoir souverain dont tu veux me punir,
Me traite en criminel, & fait seule mon crime,
Reléve pour l'abattre un trône illégitime,
Et d'un zéle effronté couvrant son attentat,
S'oppose pour me perdre au bonheur de l'Etat,
Donc jusqu'à l'oublier je pourrois me contraindre
Tu vivrois en repos, & tu m'aurois fait craindre!

Non, non, je me trahis moi-même d'y penser,
Qui pardonne aisément, invite à l'offenser,
Punissans l'assassin, proscrivans les complices;
Mais quoi toujours du sang, & toujours des supplices,
Ma cruauté se lasse & ne peut s'arrêter,
Je veux me faire craindre & ne fais qu'irriter
Rome a pour ma ruine une lydre trop fertile
Une tête coupée en fait renaître mille,

Et patere ingratos fcelere ipfe ingratus eodem.

Sed quid ego, vel quis mentis furor improbus ultro
Abfolvit te Cinna mihi & me damnat inultum ?
Perfide, fic nempe imperium retinere jubebas
Servati imperii vindex mox ipfe futurus ;
Sic tu perfequeris quem tu facis ipfe nocentem,
Injufto & reddis folio ut detrudere poffis.
Sic patriæ pulchro crimen prætexis amore
Communique bono, peream quo certius, obftas.
Et peflem juftum cohibens in corde furorem
Diffimulare fcelus tantum, mortifve periclum
Impune intuleris Cinna, & quam tollere iniquus
Tentaris, patiar demens te luce potiri !

Non ita, .. i propriam ftultè accelerare ruinam
Ipse velim, fceleri imprudens qui parcit aperto
Ad fcelus invitat, pereant & criminis autor
Et focii. Atquis erit pœnæ modus atque cruoris
Nondum fæva manus quamvis laffata quiefcit,
Quos meditor terrere metu, furiofus acerbo.
Roma invicta malis fœcundam in vulnera noftra

Et le sang répandu de tant de conjurez
Rend mes jours plus maudits & non plus assurez.

Octave n'attend plus le coup d'un nouveau Brute
Meurs & dérobe lui la gloire de ta chûte,
Meurs, tu ferois pour vivre un lâche & vain effort,
Si tant de gens de cœur font des vœux pour ta mort,
Et tout ce que Rome a d'illustre jeunesse,
Pour te faire périr tour à tour s'interesse.

Meurs puisque c'est un mal que tu ne peux guérir,
Meurs enfin puisqu'il faut ou tout perdre ou mourir,
La vie est peu de chose, & le peu qui t'en reste
Ne vaut pas l'acheter par un prix si funeste.
Meurs, mais quitte du moins la vie avec éclat,
Eteins-en le flambeau dans le sang de l'ingrat,
A toi-même en mourant immole ce perfide,
Contentant ses désirs puni son parricide,
Fais un tourment pour lui de ton propre trépas,
En faisant qu'il le voye, & n'en joüisse pas.

Pascit hydram, semperque ex uno mille reciso
Succrescunt capita & geminant ex cæde periclum
Hic fructus vindictæ & fusi sanguinis unus;
Ut magis invisus, nihilo securior, extem.

Quin age & alterius Bruti sponte ipse cadendo
Ultricem præverte manum, quemque ambit honorem
Præcipe. Cede miser, turpe est & inutile vanam,
Inter tot gladios inimicáque vota tuorum,
Inviso capiti velle aut sperare salutem
Dum te persequitur ferro Romana juventus,
Succedítque odiis mortem jurata tyranni.

Cede miser, mortis telum immedicabile, fatis
Cede miser, vitâ aut regno cessisse necesse est.
Hæc animæ jactura levis, lucisque malignæ
Quidquid restat adhuc non est me judice tanti.
I, morere, at vitæ, ne sic moriaris inultus
Ipse volens moriensque inimico in sanguine mersam
Conde facem; morere at mactatum manibus hostem
Inferias præmitte tuis, votísque cruentis
Quam præstare paras, ferro ante ulciscere mortem;

Mais joüiſſons plûtôt nous-mêmes de ſa peine,
Et ſi Rome nous haït triomphons de ſa haine.

O Romains ! ô vengeance ! ô pouvoir abſolu !
O rigoureux combat d'un cœur irréſolu,
Qui fuit en même-temps tout ce qu'il ſe propoſe,
D'un Prince malheureux ordonnez quelque choſe,
Qui des deux dois-je ſuivre, & duquel m'éloigner,
Ou laiſſez-moi périr, ou laiſſez-moi regner.



Utque novum ipse tuâ tormentum è cœde reportet,
Te videat periisse, tuâ nec morte fruatur.

At melius pœnis vindex, hostisque superstes
Morte fruar? Si Roma odit, frustra oderit, & me
Vana fremens, minitansque ferat non sponte tyrannum.

O Roma! ô patria! ô vindictæ justa cupido!
O sceptri decus, ô animi in contraria rapti
Dissidium, & dubiæ cæca inconstantia mentis!
Tandem aliquid de sorte meâ decernite; per vos
Quid sequar aut fugiam? curis medicina paranda est;
Aut liceat regnare, aut tristem abrumpere vitam.





SUR

L'IMMACULE'E CONCEPTION.

ODE DU R. P. DE LA RUE


Qui a remporté le prix à Caën l'an M.DC.LXX.

Le sujet est un enfant sauvé d'un naufrage
sur le corps mort de son Pere.

Antholog. L. 1.

ESprits qui portez le tonnerre,
Impétueux Tyrans des airs
Qui faites le péril des mers
Et les ravages de la terre ;
Vents, si l'audace des vaisseaux
Qui vous affrontent sur les eaux
En rend la perte si fréquente,
Ils ont bien mérité vos coups ;
Ayez pour celui que je chante
Plus de pitié que de courroux,

EJUSDEM.



EJUSDEM ODÆ.

INTERPRETATIO LATINA.

Vos quarum rapidis insidunt fulmina pennis,
Vos quarum imperio parent toto æthere nimbi
Immites animæ, queis cum libet impete facto
Et maria ac terras promptum est miscere procellis;
O venti, vestro toties si turbine raptas
In pelago mergit præceps audacia naves,
Nil queror, at tenui, celebrat quem musa, phaselo
Parcite, non meruit tales innoxius iras.

Ce n'eſt point au cours des étoiles
Qu'il prétend regler ſes erreurs,
Ni pour modérer vos rigueurs
Vous empriſonner dans ſes voiles.
Sa charge n'eſt pas de ces biens
Dont les rivages Indiens
Rendent tribut à nos délices:
C'eſt un fils que ſon triſte ſort
Veut dérober à vos caprices
Entre les bras d'un pere mort.

Déja la fureur des orages
Les flots l'un ſur l'autre entaſſez;
Les mats dans les flots renverſez,
Couvrent les écueils de naufrages.
Tout dans l'allarme & dans le bruit
Des foudres qui percent la nuit
Céde à la merci des tempêtes:
Et les matelots effrayez
Trouvent mille morts ſur leurs têtes,
Et mille tombeaux ſous leurs pieds.

Non ille astrorum cursus æquare sequendo
Destinat, aut rabidos certus frænare furores
Vos tumidis sperat nequicquam includere velis:
Non gazas Arabum, aut quas nostro obnoxia luxu
India pendit opes, extremis finibus orbis
Advehit: infelix vehitur spes unica natus
Quem sors, prærepti cara inter brachia patris
Ictibus, heu! miserata parat subducere vestris.

Jam furit & liquido glomeratos agmine fluctus
Tempestas agit in classem, malisque revulsis
Tristes reliquias in saxa albentia torquet.
Corda quatit cælum omne tonans, metus undique & horror,
Soláque terrificam vincunt jam fulgura noctem.
Nulla salus, spes nulla super, nautæque trementi
Mille neces summis intentat nubibus æther,
Mille sepulchra imis aperit sub fluctibus æquor.

C'en est fait la mer en furie
Après tant d'éclats violents,
Tient enfin dans ses vastes flancs
Toute la flote ensevelie.
Je ne vois plus qu'un foible enfant
Qu'un reste de vigueur défend
De la vague qui l'environne :
Et pour mettre à couvert ses jours ;
Quand tout le monde l'abandonne
La mort vient seule à son secours.

Sur les restes flotans du Pere
Elle soutient l'espoir du fils,
Et la tendresse de ses cris,
A presque fléchi sa colére.
Ses petits bras entrelassez
S'attachent aux membres glacez
Dont l'ame vient d'être ravie,
Et ses soûpirs mal entendus
Demandent encore la vie
A son pere qui ne vit plus.

Nequicquam ventos contra luctatur & ignes
Tot furiis impar classis, fractam omnibus undis
Obruit & vasto mare prædam absorbet hiatu.
Quæ rerum facies! de tot modo millibus, unus
Extat aquis, pars quanta puer, circumque prementes
Jam prope deficiens trepidat depellere fluctus;
Dumque omne auxilium dum spes jam deserit omnis,
Auxilio subit, & puerum mors sola tuetur.

Scilicet heu patrium, fluctu volvente, cadaver
Objicit erranti puero, atque ope patris adempti
Spem nati sustentat adhuc; mitescere victam
Credideris, teneráque infantis voce moveri.
Ille autem gelidos artus & lumine cassum
Insiliens corpus pressis amplectitur ulnis;
Ac gemitus atque ægra inter suspiria, vitam
Qua caret ipse pater, lachrymans à patre reposcit.

La triste victime l'embrasse,
Et sur ce pitoyable autel
Elle s'apprreste au coup mortel
Dont tout l'univers la ménace;
Cependant un pouvoir secret
Tient autour d'elle sans effet
La mer en abîmes ouverte,
Et le ciel semble en ce danger
L'aimer trop pour vouloir sa perte,
Et trop peu pour l'en dégager.

Zephirs dont les douces haleines
Avec tant de discrétion
Sçavent balancer l'Alcyon
Au milieu des humides plaines:
Quel murmure si caressant
Vous font ces petits en naissant
Dans leurs berceaux inaccessibles;
Que cet enfant seroit heureux
S'il pouvoit aux flots insensibles
Se faire entendre aussi-bien qu'eux!

Sic adeo qualis moritura imponitur aræ
Victima, suppositum complexus corpore corpus
Hæret, & ad tristem, quando via nulla salutis,
Cœli inter pelagíque minas accingitur ictum.
Sed tamen interea mare centum impune dehiscens
Gurgitibus late vis quædam arcana coercet:
Credo equidem, puerum, Deus hæc qui temperat, idem
Ut mersisse timet, timet exsolvisse periclo.

Vos molles Zephirorum animæ, placidissima turba,
Halcyonum fœtus quibus est pia cura tueri,
Et regere innocuo pendentes æquore nidos;
Quid tam lene fremunt, quæ vos ita murmuris aura
Conciliat, primas querulo dum gutture voces
Edit inaccessis proles jam garrula cunis?
O utinam! simili gemitu dum personat æquor,
Ad pueri vocem possent mitescere fluctus!

Et vous ami de l'innocence,
Dauphin, qu'un chantre ingénieux
Par ses accords délicieux
Trouva si prompt à sa défense;
Si la fameuse antiquité
Se flate avecque vérité
Que l'homme a pour vous quelques charmes,
Que voulez-vous de plus touchant?
Hélas soyez tendre à ses larmes,
Puisque vous l'êtes à son chant.


On entend ses vœux, on m'écoute;
Les cieux ne sont plus irritez,
Je vois les foudres écartez,
Et les tempêtes en déroute;
Les vents & les vagues d'accord
Conduisent l'enfant dans le port,
L'air est plus doux, la nuit plus claire;
Et les Dieux de l'onde surpris
Dans les funerailles du pere
Chantent le triomphe du fils.

Tuque adeò miserorum hospes Delphine per undas,
Quem sibi præsidium defensoremque salutis
Nobilis excivit cantûs dulcedine vates;
Te quondam nostro generi si finxit amicum,
Atque etiam humanos cecinit miserescere casus
Vera fides, si non fallit memoranda vetustès;
Heu quæ sors miseranda prius? puer hic quoque blandis
Te moveat lachrymis, cantu si movit Arion.

Audimur, nostris cœlum placabile votis
Annuit, in tenues abeunt evanida fumos
Fulgura, crudelesque procul fugere procellæ.
Jam puerum errantem vicina ad littora pellunt
Concordes undis venti, jam mitior aura
Aspirat, minuitque graves nox purior umbras.
Dii maris eventum stupuere, patrisque perempti
Funeribus gaudent nati miscere triumphum.

ALLUSION.

Vierge, l'objet de ma peinture,
Favorisez-là d'un regard.
Seule vous n'eustes point de part
Au naufrage de la nature.
Le Ciel de vos attraits touché
Arracha vôtre ame au peché,
Qui tient nôtre race asservie,
Et par un amoureux effort
Choisit pour vous donner la vie
Des parens soûmis à la mort.



ALLUSIO.

O mihi materies & carminis argumentum
Adſis Virgo parens : tu , cum depreſſa periret
Gens hominum , ſola es communi erepta ruinæ,
Scilicet egregios animæ cæleſtis honores
Ipſe Deus miſerans , fatali lege ſolutam
Fœda pati priſcæ vetuit contagia culpæ ;
Ac vitæ autores , quæ mira potentia amoris
Eſſe tibi voluit damnatos morte parentes.






L'AURORE
DE
THEOPHILE.

L'Aurore sur le front du jour
Séme l'azur, l'or & l'yvoire,
Et le Soleil lassé de boire
Commence son oblique tour.

Les chevaux au sortir de l'onde,
De flamme & de clarté couverts,
La bouche & les nazeaux ouverts
Ronflent la lumiere du monde.

La Lune fuit devant nos yeux,
La nuit a retiré ses voiles,
Peu à peu le front des étoiles
S'unit à la couleur des cieux.



SOL ORIENS.

INTERPRETATIO LATINA.

Nascitur Auroræ radiis, roseóque liquore
Perlita, & in primo lux anceps purpurat ortu;
Mox & Nereidum perfusus nectare Titan
Inchoat obliquos oriens ex æquore cursus.

At simul è pelago in terram emicuere, frementes
Flamma volucris equos fulgore involvit amico,
Et tunc ignivomi spirantes pectoris æstus
Ore diem ardenti patulis & naribus efflant.

Cernimus adverso metuens occurrere fratri
Luna fugit, pulsis cedit nox atra tenebris;
Astra oculis non clara micant velut ante, sed unus
Jam cœlo color est, cælúmque tenentibus astris.

Déja la diligente Avette
Boit la marjolaine & le thin,
Et revient riche du butin
Qu'elle a pris sur le mont Hymette.

Je vois le généreux Lion
Sortant de sa caverne creuse,
Herissant la perruque affreuse
Qui fait fuir Endymion.

Sa Dame entrant dans les bocages
Compte les sangliers qu'elle a pris
Ou devale chez les esprits
Errant aux sombres marécages.

Je vois les agneaux bondissans
Sur ces bleds qui ne font que naître,
Philis chantant les mêne paître
Parmi ces côteaux verdissans.

Matutina ſuis egreſſa cubilibus errat
Mater apis, ſuccoſque thymi populatur olentes;
Mox opibus florum & ſpoliato dives hymetto
Nativos repetit dulci cum faſce penates.

Nobilis interea rabie leo preſſus edendi
Obſcuri prodit cæcis è faucibus antri,
Quem puer Endymion hirtâ cervice frementem:
Horruit & tutâ ſeſe ſub valle recepit.

Hunc quæ Luna prius miro dilexit amore,
Jàm nemora ingreditur, captoſque in montibus apros
Enumerat Diana, aut verſo nomine nigros
Furva lacus adit & manes Regina coercet.

En ut molliculi ſaliùnt laſcivius agni
Creſcit ubi teneráque ſeges præludit in herbâ
Illos Phillis agit blandæ ad modulamina vocis
Irrigui læto qua vernant gramine colles.

Les oiſeaux d'un joyeux ramage
En chantant ſemblent adorer
La lumiere qui vient dorer
Leur cabinet & leur plumage.

La charuë écorche la plaine,
Le bouvier qui ſuit les ſillons
Preſſe de voix & d'aiguillons
Le couple de beufs qui l'entraîne.

Alix apprête ſon fuſeau,
Sa mere qui lui fait la tâche
Preſſe le chanvre qu'elle attache
A ſa quenoüille de roſeau.

Une confuſe violence
Trouble le calme de la nuit,
Et la lumiere avec le bruit
Diſſipe l'ombre & le ſilence.

At volucres variis implent concentibus auras,
Nafcentis numen credas agnofcere Phœbi,
Cujus per faciles fenfim lux didita fylvas
Et pennas avium & ramorum tegmen inaurat.

Interea rigido terram profcindit aratro
Agricola incumbens operi, fulcofque recentes
Dum fequitur, tardâ impatiens fe mole ferentes
Increpitat ftimulis & acutâ voce juvencos.

Jam teretem Galathea manu capit impigra fufum,
Tum fenior docili defcribit jufta puellæ
Penfa parens, tenuíque colum de vimine factam
Et premit & molli componens ftamine veftit.

Confufus fragor exoritur, quo pulfa profundæ
Alta quies noftris, tacitufque refolvitur horror.
Lux manifefta micat, ftrepituque adjuta fecundo
Et noctis tenebras & longa filentia rumpit.

Alidor cherche à son réveil
Le trésor qu'il voyoit en songe,
Et se repaît du doux mensonge
Qui le flatoit dans le sommeil.

Les bêtes sont dans leur taniere
Qui tremblent de voir le Soleil,
L'homme remis par le sommeil
Reprend son œuvre coûtumiere.

Le Forgeron est au fourneau
Oy comme le charbon s'allume,
Le fer rouge dessus l'enclume
Etincelle sous le marteau.

Cette chandelle semble morte
Le jour la fait évanoüir,
Le Soleil vient nous éblouïr,
Voy qu'il passe au travers la porte.

Tandem oculos Lycidas aperit, frustráque requirit
Oblatum in somnis nocti male credulus aurum.
Errori demens indulget & usque fovendo,
Fallacis mentem solatur imagine somni.

Dum notas nemorum latebras & cæca revisunt
Tecta feræ, metuúntque inimicam cernere lucem,
Ipse homo lucis amans somno laxata refectus
Membra, intermisso se reddit ut ante labori.

Jam nigro Cyclops fornacem accendit in antro
Stridentes audi flammâ crepitante caminos;
Jam candet ferrum, & validi Cyclopis ad ictus
Dissilit in tenues durâ ex incude favillas.

Deficit, incertâque errat fax luce, priorem
Clara dies fulgorem adimit prohibetque videri;
Perstringit Titan oculos, radióque fluenti
Insinuat, faciles aperit quâ janua rimas.


» ** Levons-nous, cet astre charmant*
» *Nous avertit de rendre hommage*
» *A celui dont il est l'image,*
» *Et qu'il annonce incessamment.*

* On a crû devoir changer la derniere strophe.



Surgamus, ſol ipſe ſuis dum ſurgit ab undis
Admonet æternum venerando agnoſcere numen;
Ipſe Dei vera eſt cerni quæ poſſit imago,
Ipſe Deum immenſo per agrans annuntiat orbi.





INFANS JESUS
IN AGRO DORMIENS.
EX COMMIRIO.

Matris Virginis ubera
Dum pressas tenerâ manu.
O infans Deus! & sitim
Vesco nectare temperas:
Somnus ecce papavere
Vinctus tempora cærulo
Gratas insidias struit;
Sylvarumque loquacium
Lympharum que fugacium
Inter murmura lubrico
Adrepens pede molliter
Artus languidulos ligat
Inque sidereis sibi
Sedem figit ocellulis.

Tam dulci violentiæ
Cur succumbere sit pudor?



IDEM ARGUMENTUM

VERSIBUS HEXAMETRIS expressum.

Mollia dilectæ dum Virginis ubera matris
Colludens pressásque manu, pressasque labello;
O infans Deus, & sacro restinguere gestis
Fonte sitim, ac pleno jam jam te proluis ore;
Ecce papavereo devinctus tempora flore
Labitur & gratas somnus nil tale timenti
Insidias struit, atque innoxia retia tendit.
Ac confusa inter resonantis murmura sylvæ
Et jucunda inter fugientis murmura rivi
Lubricus adrepens tacito pede molliter artus
Languidulos ligat & per frontem allapsus apertam
Ultro in sidereis sedem sibi figit ocellis.
Vim facit ille quidem, sed ne succumbere somno
Te pudeat; dormi, Jesu dulcissime, dormi.

Dormi. Terra tibi torum
Molli stravit amaraco
Et natis Zephyri halitu
Latè sparsit odoribus.
Dormi. Luscinia melos
Somnum suadet, & arduâ
Quod turtur tenerum canens
Carmen ducit ab ilice.
Dormis. At vigili excubat
Te circum studio parens
Et motu & digito jubet
Custos fida silentium.
Ah! ne quis temerario
Huc pastor veniens gradu
Agresti calamo strepat.
Ah! ne graminis immemor
Magitu feriat gravi
Rupes bucula concavas;
Quin vos obsecro lenius
Suspirate favonii
Undas vos quoque lenius
Clivis volvite rivuli;
Et tu ne noceant meo
Solis tela pusillulo
Umbellam, cedre, desuper
Passis objice brachiis.

Ipſa tibi mollem viridi de ceſpite fecit
Terra torum, ac zephyris flores afflantibus ortos
Sparſit odora parens ; dormi, dulciſſime, dormi,
Et Philomela ſuas iterat dum mæſta querelas
Et Turtur viduâ tibi ſuadet ab ilice ſomnos.
Dormis at vigili te circum proxima cura
Excubat interea mater fidiſſima cuſtos.
Et digito premit ora, monetque ſilentia nutu.
Ah! ne præcipiti temerè per devia curſu
Irrumpens duro paſtor male verberet aures
Murmure, vel raucâ depellat arundine ſomnos!
Ah! ne lenta jacens, neglectæque immemor herbæ
Aëra ſublatis dum captat naribus, alto
Mugitu feriat reſonantes bucula rupes.
Quin vos felices zephyri clementius, oro,
Arboreas frondes impellite; vos quoque rivi
Lenius è pronis undas devolvite clivis;
Et tu dum teneras torret ſol igneus herbas,
Ne tenero officiant quæ vibrat tela puello,
Umbellam paſſis cedre deſuper objice ramis.

Seu prolis reverentiâ
Seu matris monitu, silent
Pressis omnia vocibus.
Natus Zacharia interim
Linquens matris anûs sinum
Visendi studio advolat.
Monstravit pietas iter
Et vires amor addidit.
Quanquam lætitiâ ebrium
Hunc ne posse putes loqui
Linguam quippe ligat stupor.
Totis artubus ut micat.
Dum miratur biantibus
Jam præsentem oculis Deum!
Ut risu pueriliter
Laxat subtimido genas.
Et forsan roseis dare
Tentet suaviolum labris
Castus ni retrahat pudor.
At se, quod licet, infimo:
Ultro projicit ad pedes
Confessus famulum, & sacro
Signatum Domini gradu
Gaudet lambere pulverem.
Cum mox linquet eum sopor
Plantis imprimet oscula.

Audior en omnes, ſeu ſit reverentia prolis,
Seu matris monitus, ceciderunt murmuris auræ.


Vidit Zacharides, vidit, gremióque relicto
Matris anûs, volat impatiens, iter optima certum.
Monſtravit pietas, pedibuſque amor addidit alas.
Quanquam lætitiâ exultat, dulcique furore
Ebrius, in certas ne linguam ſolvere voces
Poſſe putes; ſtupor hanc muto ligat altus in ore.
Ut vix dulce fremens ſibi temperat, ut micat artus
Dum præſens oculo numen miratur hianti!
Ut riſu timido pueriliter ora remittit,
Forſan & in roſeis rapere occupet oſcula labris,
Ni caſtus retrahat pudor & reverentia; tantum,
Quod licet, ante pedes ſupplex ſe projicit, ultro
Confeſſus famulum; ſacri veſtigia greſſus
Obſervat, preſſamque allambere gaudet arenam;
At mox cum tenero Chriſti de corpore ſomnus
Fugerit, ambroſiis ardens dabit oſcula plantis.



IN COLUMBULUM CUM INFANTE JESU COLLUDENTEM.

EX COMMIRIO.

DUlcis Columbule ah! nimis beatus es,
Tuámque ſortem cælites ipſi invident.
Infans patre Deo, matre natus Virgine
Te fert in oculis, te ſuo in ſinu fovet
Plumaſque tenerâ blandiens comit manu:
Blæſóque lallat ore, delicias vocans,
Suoſque amores. Caſta quinetiam oſcula
Et ipſe crebrò libat, alternâ & vice
Matri oſculandum ludibundus porrigit.
Ab illo ad illam ſæpè juſſus devolas;
Ab illâ ad illum rurſus exultim redis
Utriuſque luſus & voluptas innocens,




IDEM ARGUMENTUM

VERSIBUS HEXAMETRIS expreſſum.

FElix ah! nimium, mellite Columbule, cujus
Cælicolæ ſortem & magnò mereentur honores.
Infans patre Deo, matre idem Virgine natus
Fert oculis te nempè ſuis, & condit amico
Sæpè ſinu, mulcetque manu, pectitque premendo
Et gaudet dociles palpando comere plumas.
Ipſe tibi lallat blæſo cum murmure linguæ;
Deliciaſque, ſuoſque interdum dicit amores.
Quin & caſta etiam tibi prodigus oſcula libat,
Alternánſque vices protendit ad oſcula matri.
A nato ad matrem celeri, cum præcipit, alâ
Sæpè volas, idémque ad natum matre relictâ
Exultim te ſponte refers; addictus utrique,

Utriusque dulcem carpis in dextrâ cibum.
At unde venit hæc tibi fiducia,
Tonantis humeris insidere non times?
Quid ille rauco vult susurrus gutture,
Plaudentium quid gratus alarum tremor?
Te nempè vultûs aura cælestis trahit
Ac gemina ocelli sydera, ardésque improbe
Inserere roseis molle rostellum labris,
Non desiturus antequam expuleris sitim
Epoto amore plenus, & Deo ebrius.
Dulcis Columbule, ah! nimis beatus es!
Tuamque sortem cælites ipsi invident.



Carus utrique idem, lusúsque & blanda voluptas,
Amborum in dextra dulcem temerarius escam
Carpere amas. Ast unde tibi fiducia tanta?
Tunc audes humeris etiam insedisse tonantis?
Quid fremitus? rauco tacitum quid gutture murmur?
Quid tremor alarum? toto quid corpore plausus?
Te nempè eximiæ cælestis gratia formæ
Auraque grata trahit, geminum te sydus ocelli;
Rostellum roseis ardes quin improbe labris
Inserere immittens, certus non cedere, grato
Expleris dum rore sitim, ceu numinis haustu
Ebrius inde Deo, atque epoto plenus amore.
Felix ah! nimium mellite Columbule, cujus
Cælicolæ sortem & magno mercentur honores.



FILIUS PRODIGUS.



PRÆFATIO.

Breve hoc quod in lucem edimus drama, si nihil aliud, certè argumenti ab authore Christo inventi dignitas satis commendat. Sic enim refertur, Lucæ cap. 15.

Ait autem (Jesus): *Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit: & divisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus; adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illâ & ipse cœpit egere. Et abiit & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de si-*

liquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater suus, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad servos suos: cito proferte stolam primam, & induite eum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est: & cœperunt epulari. Erat autem filius ejus senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam & cho-

rum, & vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent. Isque dixit illi: frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea, tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.

Quæ narratio ejusmodi est ut qui legendo non commoveatur, durus sit admodum. Habet enim motus illos quibus affici in scenâ maximè solemus, doloris scilicet, indignationis & misericordiæ, satis vehementes; atque haud scio an quid-

quam excogitari possit ad eliciendas lachrymas efficacius, quam mirus ille amoris & lætitiæ sensus quo Pater filium ad pedes multis cum lachrymis provolutum tam arctè complectitur. Ego quidem hanc historiam à Poëtis dramaticis tandiu prætermissam mirari satis non possem, nisi multos hoc uno absterritos suspicarer, quod ad scenæ leges satis belle accommodari posse diffiderent. In quo etsi difficultatis inesse non parum intelligebam, tamen ejusmodi esse non putavi ut vinci nullo modo posset, & dignum visum est argumentum propter quod id oneris non recusaretur: quod ut præstarem quantum in me erat, actionem omnem ita institui.

Finxi, scilicet, sinistros de filio prodigo, qui multo ante domo paternâ abscesserat, rumores, quasi omnia sua nequiter & flagitiosè vivendo abliguriviffet, ad patris aures permanasse; quibus nunciis excitatus illico senex servum ex fidissimis submisisset, qui perditum adolescentem requireret, & domum revocaret. Malui autem suspicionem hanc

de filii calamitate, per rumores hujuſmodi, ut ferè fit, injectam patri, quam per tritas ſomniorum ambages, quibus quemadmodum non reprehendo qui utuntur, cum ratio poſtulat, nec aliter nodus ſcindi poteſt, ita nolim abuti cum alia expediendæ rei ſuppetit via. Effluxerant autem dies non pauci ex quo domo erat profectus ſervus ille ſubmiſſus à Patre, qui quantum ex tempore conjiciebat Senex redux jam eſſe debuerat; unde admodum perturbatur, ac multum gemens, & ſervi cunctationem ac tarditatem increpans, reditum illius mirâ ſolicitidine operiebatur. Rebus ita conſtitutis, ab hoc ipſo temporis puncto initium ducit actio, excluſis cæteris omnibus quæ antea præceſſiſſe neceſſe eſt diſceſſu ſcilicet filii junioris ac flagitiosâ ejuſdem peregrinatione, quæ omnia intra diei unius limites, quod dramaticæ leges præſcribunt, includi non potuere. Ne tamen prætermitteretur omnino hæc pars hiſtoriæ non negligenda, aut ignorari poſſet quid fuiſſet tandem, cur receſſiſſet à Patre fugitivus ille

filius ; id narratione exponi oportuit ; at ne fruſtra fieri videretur hæc narratio, feci nobilem quendam qui agrum haud ita pridem in proximo emiſſet, ad ſenem mærentem accedere, triſtitiæ cauſam humaniter ſciſcitari, atque ab eo vix tandem exprimere: Quam perſonam ab Heavtontimorumeno Terentii mutuatum eſſe me non diffitebor, nec pænitet, cum in actu tertio nobilis ille, pacis ſequeſter non incommodus Patrem inter & filium natu majorem accedat.

Finxi præterea filium eundem natu majorem nihildum audiiſſe de rumoribus illis quibus tantopere fuerat commotus pater ; abfuerat enim interea, ut innuit Chriſtus, *erat autem filius ejus ſenior in agro.* Finxi autem, eo conſilio, ut cum novam mæroris cauſam à patre audiiſſet, novam ſcilicet filii profugi calamitatem; invidiæ illius & æmulationis in fratrem quæ tantas deinde turbas erat excitatura, jam tum ſignificationem aliquam daret. Adjunxi huic etiam duos adoleſcentes ipſius familiares, qui invidiam ejus in

fratrem, & animum in patrem accenderent; neque enim satis erat verisimile tam pium & tam verecundum adolescentem, ab ea quam semper præ se tulerat erga patrem pietate & reverentiâ tam cito defecisse, nisi à sociis incitatum, exasperatum ac conviciis propè compulsum. Atque hæc de toto dramatis contextu, quem tamen eo nomine nonnulli reprehendunt, quod ut ipsi judicant, in unâ simplicique actione non consistat. Volunt illi, scilicet, patris & filii natu minoris amplexu, quo actus secundus concluditur, drama totum concludi; cæteráque omnia, quæ sequuntur, indignationem scilicet filii natu majoris & ipsius demum cum patre reconciliationem, in quibus actus tertius omnino insumitur, ad alteram actionem pertinere.

A quibus ego unum est quod requiram, censeant ne * Cornelianam de Pompeii morte Tragædiam actu secundo concludi, novamque cæteris tribus actibus actionem institui? Victus Alexandriam appellit

* La mort de Pompée, Tragedie de Pierre Corneille.

Pompeius. Primo Actu, de ipso in Ptolomæi concilio deliberatur. Occisum statim initio actus secundi nunciatur. An ideo quæ reliquis actibus consequuntur extra rem esse dicenda sunt aut actionis simplicitati officere? Certè, non ita visum est ipsi * Cornelio, qui mancam & imperfectam futuram fuisse hanc Tragædiam ostendit, nisi ad eum terminum quem ei constituit, ipsam perduxisset. Cætera enim quæ mortem Pompei consecuta sunt, ita cum ejus morte sunt conjuncta, ut iis omissis, quemadmodum observat ille ** Tragicorum facile Princeps, aliquid deesse intelligatur; neque enim hæc omnia diversas actiones, sed unius ejusdemque actionis partes diversas & necessarias constituunt. Quæ ratio si valet in causâ Cornelii, valet & in nostrâ. Ita enim indignatio filii majoris in reditu fratris, cum ipso reditu conjuncta est; ut unum quid efficiant, & altero posito altera non possit impune omitti.

* Examen de la Tragédie de Pompée.
** Discours du Poëme dramatique.

At, inquiunt illi, juniore in gratiam Patris recepto nihil ulterius expectatur. Credo equidem ab iis qui ad ea quæ præcessere minus attendunt; sed qui indignationis illius, quæ tertio demum actu vehementius erumpit, causas & semina in prioribus non prætermisere, illi certe requirunt aliquid ulterius; quâ mente scilicet, quo vultu, fratrem à patre tam facile tam jucundè, cum tanto lætitiæ sensu in gratiam esse receptum auditurus sit is qui paulo ante patris indulgentiam increpans de fratre dixerat;

. . . . . *Quærere hunc iterum paras,*

Qui si rediret sponte, pellendus foras

Procul esset.

Quod nisi intellexerit, non acquiescit animus; neque enim in reditu tantum filii prodigi drama versatur, sed in eo reditu qui luctus omnes & curas restitutâ pace domesticâ, plenè & perfectè abstergat. Quid autem actum erat redeunte juniore filio, si major indignatione commotus recederet? Nonne abstersa priori cura, nova subinde nec minus gravis

exſurgebat ? Quod ubi fit, truncam adhuc & parte neceſſariâ fraudatam hærere fabulam diſertè docet * Cornelius, cujus autoritati quæ tanta eſt in eo genere, ſi qui ſint adhuc qui refragari non vereantur; unum ſupereſt quod ab iis enixè poſtulem; patiantur ſcilicet me plus Chriſto non velle ſapere, aut ea disjungere quæ ipſe narrando conjunxit; nam licet aliæ ſint narrationis, aliæ dramatis leges, tamen quantum ad ſimplicitatem actionis quæ vel narratur vel exhibetur, eadem eſt utriuſque ratio; quemadmodum igitur indignatio filii majoris in narratione Chriſti, ad reditum junioris ita pertinet, ut una ac ſimplex ex utroque efficiatur actio, idem prorſus fieri in hoc noſtró dramate judicandum eſt.

Jam quod ad temporis ſpatium ſpectat, adeo intra unius diei cancellos actio omnis continetur, ut non plus admodum requirat temporis, quam quod exhibendæ in ſcenâ, ut breviſſima ſint interludia,

* Diſcours des trois unitez.

insumitur. Locus vero unus idemque est tota actione, & in brevi angulo sylvæ ædibus Patris proximæ constituitur.

Vix necesse arbitror hic, ultimo loco, admonere, hujusmodi argumentum tragicis versibus non debuisse pertractari, sed privata, ut ita dicam ex Horatio, carmina privatis personis aptari æquum fuisse; iambici carminis majestate ad personarum mediocritatem sic attemperata, ut mediam quodammodo Senecam inter & Terentium iniret viam, & quantum ab alterius severitate & magnificentiâ, tantum ab alterius negligentia & facilitate recederet.





ACTORES.

PATERFAMILIAS.

FILIUS natu major.

FILIUS Prodigus.

ELIAB, Vicinus nobilis.

MANASSE'S, } Filii natu majoris familiares.
AZARIAS, }

PHARES, Servus.

PASTOR.

Scenâ in Sylvâ ædibus Patrisfamilias proximâ.



FILIUS PRODIGUS.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

PATER.

ADhuc moratur lentus & tardat Phares
Rediisse quem jam decuit, & miseri senis
Relevare curâ pectus oppressum gravi
Quid id esse dicam? quæve cunctantem hactenus
Retinere potuit causa? nescio quid mihi
Præsagit animus, triste & augurium canit!
Servum morari sed quid infœlix queror!
Aut quid reversus ille de nato ferat?
Flagitia nempè, perditum luxu improbo
Ludóque juvenem, forte & absumptas opes.

Quid illa quanquam damna fortunæ moror
Opésque fusas dum nihil pejus mali ?
Hæc cuncta referet, scire cur propero ? Phares.
Juvat tamen vel ista scire, si restat super
Spes aliqua, medicam, scilicet, morbo manum
Adhibere certum est, redeat, hoc tantum peto,
Inops egenusque omnium, carus patri
Vel sic futurus, ire quin me ipsum juvat,
Ibo senecta nec moram tarda afferet,
Nec ulla euntem longa lassabit via,
Quacunque mundi parte, miserandûm, exulat
Gressus aniles, mentis & curas feram.
O nate, nate quam graves misero creas
Luctus parenti.

SCENA II.

PATER, ELIAB Vicinus.

ELIAB.

Non fero ulterius tuos

Amice gemitus, nupera & quamvis tibi
Non ante notum junxerit vicinia,
Tamen movet me tantus hic in te dolor,
Animíque pietas facit, ut audacter petam
Celare ne me quidquid est istud velis
Quod te secundis rebus utentem admodum,
Firmum, valentem, totque felicem bonis
Pectore sub imo vulnus arcanum premit.
Juvare si quid anxium fas est, opem
Spondere possum, tu meæ quidquid gemis
Committe fidei certus, atque animum leva.

PATER.

Eheu pater sum, amice, curarum satis
In omne tempus nomen hoc unum gerit.

ELIAB.

Et te sciebam prole susceptâ patrem,
Et te beatum nomine hoc uno satis
Amice duxi, nam quid est, testor Deum,
Cur dulce tandem Patris incuses onus,
Natíque in illa sorte pœniteat tui?

Committe nobis, si fidem nostram probas.

PATER.

Eheu dolorem amice quid renovas meum.

ELIAB.

Age fare, gemitusque interim ad tempus preme.

PATER.

Qui premere possum? semper heu! præsens redit
Mentique oberrat natus infelix. Fuit,
Fuit ille fratri non parum absimilis suo,
Ferox, protervus, acer, intractabilis,
Frænumque quanquam vel leve indocilis pati.
Hæc vitia, quæ tum senseram, donec puer
Fuit, & reflecti potuit in partem alteram
Opprimere in ortu sæpè tentavi suo,
Monui, rogavi, precibus adjunxi minas,
Nil demum omisi melior ut fieret mihi,
Moresque pravos poneret: frustra omnia.
Precibus, minisque amice profeci nihil,
Ægramque mentem blanda lassavit brevi
Medicina, vanus omnis effluxit labor.

Mecum hæc querebar solus & pueri vices
Intus gemebam.

ELIAB.

Perge quid tandem accidit?

PATER.

Hæc dum revolvit animus & curis premor
En de repente juvenis occurrit mihi,
Feróxque tristi voce sic infit: Pater
Abire fixum est, quandiu hic dego piget,
Tædetque; noſtrûm utrique quam parum hactenus
Conveniat, usus docuit & nimium vides
Fratri, tibique displicent mores mei,
En sponte cedo, dixit, hoc unum rogo,
Censu ex paterno quidquid à te olim licet
Sperare natum, nunc repræsentes velim.

ELIAB.

Abominandum facinus! an non hoc erat
Patrem increpare, quod diu faceret moram
Vivendo? Quid tu?

PATER.

Perditum adolescentulum

Placare verbis mollioribus gemens
Lachrymansque cæpi.

ELIAB.

Scilicet!

PATER.

Ne me patrem
Crudelis illâ ætate desereret senem,
Orare & obtestari & amplecti sinu.
Immotus ille & mente dejectus, nihil
Flecti aut moveri potuit.

ELIAB.

Indignum scelus.

PATER.

Nil impetravi, cuncta quæ petiit, dedi,
Mancipia, vestes, pondus argenti haud leve.

ELIAB.

Tu nempè? stulta hæc patris indulgentia.
Natum enecasti quem coerceri acriter
Domitumque pænâ decuit & vinclis domi.

PATER.

At ego pudore & amore consuevi meos
Non vinculis retinere vel pænæ metu.
Hæc visa ratio vera quæ deceat patrem.

ELIAB.

Hoc te fefellit, cætera expedias tamen.

PATER.

Abit ille demum, quem quot abeuntem miser
Sum prosecutus lachrymis & fletibus
Hæc sylva testis, nulla nec posthac dies
Mihi sine luctu fluxit. Atque etiam novus
Misero parenti nuper accessit dolor.
Aures sinister appulit rumor meas,
Hunc dissipatis opibus, atque inopem omnium
Aliò exulasse: rumor incertus quidem
At pene certum juvenis improbitas facit
Servum fidelem nil minus misi illico,
Opem misello, spes adhuc si qua afforet,
Præbere jussi, patriam secum in domum
Pertrahere & omnem tollere ex animo metum.

At nunc moratur ſervus, & tardat nimis:
Ibo ipſe, tantas namque non patitur moras
Amor paternus; ibo.

ELIAB.

Tantiſper tamen
Præſtat manere certa dum ſervus ferat
Natum reducet forte nec longa eſt mora.

PATER.

Mihi me relinque, nec meum ulterius velis
Turbare luctum, quæro deſerta, avia
Ubi liber & ſolutus erumpat dolor.

ELIAB.

Parco moleſtus eſſe, ſecedo ut jubes,
Tamen reviſam poſtmodum, hoc à me interim
Luctûs tui lenimen haud vanum feres,
Perire natus, ſi quis eſt cælo Deus,
Tantis redemptus lachrymis nunquam poteſt.

PATER.

Utinam ſua iſti conſtet augurio fides.

SCENA III.

PATER, FILIUS Major.

FILIUS.

Adsum peregi genitor, absolvi omnia
Quæ tu colonos circa & armentis super
Fieri volebas, sed quid est quod te premit?
Quis ille tantus oro te torquet dolor.

PATER.

Bene est, abunde est, cunctáque ut semper soles,
Et diligenter nate fecisti & piè.

FILIUS.

At ipse tandem fare, quis sic te urgeat.
Turbetque mæror anxium.

PATER.

Nihil est,

FILIUS.

Nihil!
Nihil esse credam! gemitus erumpit tamen
Frustra repressus, lachrymæ injussæ cadunt,

Mihi ne tantum care diffidiis pater ?

PATER.

Ah parce verbis, egóne diffidam tibi ?
Meliora credis.

FILIUS.

Credidi certè hactenus
Dubitare ſed tu cogis & cogis queri.

PATER.

Abſiſte ſed tu quærere ulterius precor
Melius ſilebo, ſcire quod temere cupis.

FILIUS.

Levare prohibes corde quod mæſto inſidet.

PATER.

Levare nullus nate quod me angit poteſt.

FILIUS.

Pergis negare ? ſic amas natum & probas ?
Quid tale merui ? noſtra num te unquam prius
Tui fefellit prodiga arcani fides ?

PATER.

Fili quid urges, cauſa, quando quidem premis,

Non vana luctûs, ille qui ſemper fuit
Eritque patri ſemper, etiamnum magis.
Hic eſſe cæpit, ſcilicet frater tuus
De quo ſiniſtri nuntii & nimium graves
Pepulere noſtrum pectus, exilio ſuo
Inops boniſque perditis iterum exulat;
Celare quod te quandiu licuit malum.
O nate volui.

FILIUS.

Et hic erat qui te patrem
Torquebat angor ſcilicet! digna & tui
Hæc cauſa luctûs, dignus hic lachrymis adhuc
Tuis videtur; perditus, nequam, improbus,
Sed parva memoro, patre deſerto impius.
His nempè titulis profugus è patriâ domo
Meruit amorem patris, his patrium artibus
Meruit dolorem, ſcelere jam felix ſuo
Mihique invidendus! nempè quem luctum movet
Natus rebellis, quas ciet lachrymas patri
Sedare natus obſequens nullus poteſt.

Et ille vel nunc carior ſcelere in ſuo
Pietate carus quam tibi fuerim meâ.

PATER.

Ah parce fili, quid tuis patrem enecas
Durus querelis? dubius anne unquam fuit
Hic noſter in te quem malè incuſas amor?
Scis ipſe quam te pectore infixum intimo
Teneam, ferámque? patere me fratri, licet
Minus merenti, lachrymas ſaltem breves
Inutiléſque forte, quod ſupereſt dare;
Bis ſum pater, bis eſſe quid patrem vetas?

FILIUS.

At ſæpè dixti poſt fugam & fratris ſcelus
Jam te exuiſſe patrem, & affectus pios
Exaruiſſe, qui tamen quantum vigent!
Ah video, natum nempè fallebas pater.

PATER.

Et me priorem nate fallebam. Putas
Quos ipſa patrio mater inſevit ſinu
Natura ſenſus, patrio avelli ſinu

Quocumque telo posse? quam strictè hæreat.
Amor paternus nate tu quondam scies;
Gemit ille, queritur, sævit interdum & furit,
Sed dum furit, queriturque, nil minus est amor.

FILIUS.

Tamen dolori pone nunc saltem modum,
Annisque demum parce, te luctu occidis
Vires caducas franget hic sensim dolor.

PATER.

Hunc nate minuet longa paulatim dies.
Vel si dies non minuet, at pietas tua
Multum levabit.

FILIUS.

Quo fugis?

PATER.

Nunc me mihi
Permitte fili.

FILIUS.

Non sinam hoc luctu.

PATER.

Sine.

FILIUS.

Patet.

PATER.

Sine oro.

FILIUS.

Sic jubes.

PATER.

Cupio.

FILIUS.

Obsequor.

SCENA IV.

FILIUS.

INique frater, te reum duplo facit
Hæc mira pietas patris & clementia;
Ferum, rebellem, perditum, indocilem, impium
Amare pergit usque, quid faceret pium?
Quanquam ipse nimium mollis & plusquam decet
Cedit dolori, ac deflet ingrati vicem.

Abiit, perire voluit, & fratrem & patrem
Contempsit exlex, pœna nunc sontem premit
Quæcunque justa est, crimen ingratus luat.

SCENA V.

FILIUS, MANASSE'S, AZARIAS.

MANASSE'S.

DEsideratus & diu & multum venis;
Cursu fugaces persequi & telis feras.
Vides paratos: ipsa consilio favet
Nec fulsit unquam purior cælo dies.
Pueri frequentes densa sylvarum tenent,
Aditusque clausos obsident sparsi canes;
Quid plura? tu nos sequere, ni nostri piget,
Venture ludi gratus in partem comes.

FILIUS.

Utinam vacaret! nulla retineret mora.
Quin sequerer ultro socius.

AZARIAS.

Et quidni vacet ?

Aut quid moratur ? ludere & genio obſequi

Ætate noſtrâ ſemper ut credo vacat.

MANASSE'S.

Quoties rogamus, aliud ex alio impedit,

Novas utrique ſemper ambages canis.

FILIUS.

Vos ſinite quæſo, melior occurret dies,

Ultro laceſſam.

MANASSE'S.

Sed quid hic obſtat tamen ?

FILIUS.

Dicam lubenter, cura ſollicitum gravis

Angit parentem, linquere afflictum domi

Geniúmque curare interim pietas vetat.

MANASSE'S.

At tu faceſſe, an ſemper affixus tuo

Tanquam puer regendus hærebis ſeni ?

AZARIAS.

Et te ſenilis cura tam graviter movet ?
Dolere mæſtum & gemere miraris ſenem ;
Mirer ego non dolere quem ſenium gravat,
Mortíſque durus terret inſtantis metus.

FILIUS.

Alia dolendi cauſa nec inanis ſubeſt.

MANASSE'S.

Reſcire ſi nil prohibet, actutum doce.

FILIUS.

De fratre quædam triſtia excepit meo.

AZARIAS.

Hunc nempè dicis patriâ profugum domo ?

FILIUS.

Hunc ipſum.

MANASSE'S.

Et hoc'eſt cur bonus doleat ſenex ?
Hæc cauſa luctûs ? curat ingratum & probas ?

FILIUS.

Cauſam doloris ut ego non multum probem,

Tamen dolenti desse non possum aut decet,
Abeo, requiram, opemque præstabo patri.

AZARIAS.

Lugere quoniam te juvat tantûm, vale,
Nos hinc ferarum in lustra properamus citi.

Finis primi Actus.





ACTUS II.

SCENA PRIMA.

FILIUS PRODIGUS.

HÆc ſunt paternam nemora quæ cingunt domum,
Agnoſco montis molle vicini jugum
Fluviumque lento rura lambentem pede;
Mihi læta nimium quandiu libuit loca,
Nunc illa menti nil niſi inviſum ferunt.
Quocunque circum lumina obverti vagus
Mihi cuncta tacite crimen objiciunt meum
Pœnáſque repetunt. Luimus heu magnas ſatis
Nudi atque egentes, quoſque perpeſſi hactenus
Opprobria, vel quas ſortis indignæ vices.
Rebus ſecundis, opibus intactis, diu
Plures ſecuti, rebus acciſis brevi
Fugere vacuum, & urbe pepulerunt ſuâ

Socii infideles, ac mali tanquam parum
Foret hæc egestas, tristis accessit fames,
Et ne perirem, dum nihil misero est super
Quo me redegit? memini & etiamnum pudet
Meminisse, potui turpe servitium pati
Porcisque mancipatus & custos datus
Mercede tenuem quærere infami cibum!
Hic mentem imago patriæ afflictam domûs
Et illa rerum dulcis ubertas subit.
Quot inquiebam vernulæ in patris domo
Cibis abundant, dum fame pereo miser!
Utinam liceret aliquam in illorum grege
Sperare partem, nil enim profugo licet
Optare posthac majus. Amisi decus,
Noménque nati. Nunc tuum agnoscis scelus.
Ingrate, dixi. Sed quid incassum queror
Morórque? Non me si pater natum abnegat,
Servum abnegabit, aut domo expellet suâ.
Ibo, ibo cari genua complectar patris,
Reúmque fassus ultro: peccavi pater

In cælum & in te, dicam, & agnoſco nefas.
Nec jam vocari filius mereor tuus;
At ſi qua pietas pectus haud durum movet;
Sortíſque facies illa te tangit meæ,
Licet haut merentem ſuſcipe in famulum precor.
Dixi & repente huc verſus aggrediens iter
Vix corrogata ſtipe perfeci viam:
Nunc hæret animus, jamque conſilii piget,
Quâ fronte namque, quóve conveniam patrem
Vultu pudendus? Hunc modo aſpexi procul
Statímque totis inde contremui artubus,
Atque huc refugi trepidus. An lacerum, ſitu,
Squallore turpi fœtidum agnoſcet pater?
Sic me ſuâ olim miſit ornatum domo?
Quæ dederat ubi ſunt?.... Sed quid huc greſſus tulit
E rure paſtor, unus ex illis quibus
Data eſt paternos cura ſervandi greges?
Nimium beati! deeſſe nil ipſis ſcio,
Videóque, miſero cuncta dum deſunt mihi.

SCENA II.

PRODIGUS, PASTOR.

PASTOR.

Quid tandem oberras nemore diverso vagus?
Ubi hic eodem sæpe relegentem gradus,
Num te locorum & hujus ignarum viæ
Error fefellit? dic quid est in quo anxium
Possim juvare.

PRODIGUS.

Non mihi incertum est iter,
Amice pastor, quoque contendam scio.
Sed tu rogantem, ni grave est, quæso, doce
Hæc sylva cujus, cujus hæc rura & domus
Quæ posita molli non procul clivo imminet.

PASTOR.

Hæc vasta late nemora, & affines agros
Domumque pariter, quidquid & circum vides
Gregésque nostros possidet, si quid cupis,

Hæreditatis parte præceptâ, ſtatim
Fugit parentem, ſeque proripuit procul.
Nec deinde ab ipſo rumor huc quidquam attulit.

PRODIGUS.

Turpe & nefandum facinus, ô paſtor, refers
Dignúmque pœnis omnibus, ſi quæ ſatis
Poſſunt piare... quamquam in errorem levi
Trahere juventa potuit ignarum boni,
Illúmque ni jam pœnitet facti, reor,
Cito pœnitebit. At quid interea pater?

PASTOR.

Flevit.

PRODIGUS.

Sceleſti crimen hæ lachrymæ aggravant
Culpámque nati. Flevit!

PASTOR.

Et veteri novus
Etiam his diebus mœror acceſſit, latet
Tanti doloris cauſa, ſed gravis eſt tamen.


PRODIGUS.

Illum dolorem quiſquis eſt, oro, levet
Diiſque ſanctum ſoſpitet Deus ſenem
Tibique faveat paſtor.

SCENA III.

PASTOR.

ABſceſſit puer
Celare viſus fronte triſtitiam gravi,
Neſcio quid intus torquet & nimium premit
Meliore dignum ſorte .... Sed vocem audio
Heri querentis, tendit huc nec me videt,
Tam durus oculos cæcat & mentem dolor
Cedo, relicti cura quo revocat gregis.




SCENA

SCENA IV.

PATER solus.

UT quidquid oculis objicit ſeſe meis
Renovat dolorem ! juvenis ignotus modo
Errare ſolâ viſus in ſylvâ procul.
Trepidavit intus animus & nati exulis
Meminiſſe fecit ; atque, ſi ſupereſt adhuc,
Ætate ab illa diſtat haud multum puer,
Propius videre placuit, & coram loqui,
At ille noſtro ſeſe ab aſpectu abſtulit
Nec viſus ultra, ni mihi illuſit dolor,
Senſuſque imago falſa decepit meos.
Phares moratur interim.



SCENA V.

PATER PHARES.

PHARES.

En adſum tibi.

PATER.

Optate tandem nunc ades nobis Phares.
Eloquere, quid habes? quidve de puero refers
Eheu quid hæres? loquere.

PHARES.

Quid cogis loqui?
Meliora vellem, nil niſi triſte affero.

PATER.

Niſi triſte miſero dure nil affers patri?
Satis eſt, abunde eſt, periit infelix puer,
Heu periit, actum eſt, periit, æternum occidit.
Et vivo adhuc inviſus, & lucem moror!
Ego te peremi nate: num decuit pati

Peregrina ſolus in loca ut fugeres procul ?
Ego te peremi durus, hoc in te levis
Error juventæ, crimen in nobis fuit.
O nate, miſero, nate, quis mihi det patri
Ut te peremptum morte vel redimam meâ !

PHARES.

Periiſſe falſo quereris & ploras, neque
Periiſſe dixi.

PATER.

Vivit ergo ?

PHARES.

Sic puto.

PATER.

Putas ? quid ultra fallis & noſtra improbus
Parcis dolori ?... Loquere, num vivit puer ?
Vivit ne ? fare, dic quibus perſtet locis,
Ibo & requiram.

PHARES.

Noſſe ſi tantum mihi
Licuiſſet, an me conſilî immemorem tui

Solum huc reverti juvene neglecto putas
Potuisse ?

PATER.

Nescis & tamen domum redis,

PHARES.

Nec sponte redeo, sed quid ulterius velis
Fecisse ? quæ non adii & inspexi loca,
Quos non recessus ? atque dum incertus vagor
Terrásque passim lustro, vix urbem appuli
In quâ ferebat fama sedem olim sibi
Legisse puerum ; at inde consumptis bonis
Fugisse didici. Proxima hinc visum est statim
Obire rura, rusticam adveni domum,
Huc illum egentem dura compulerat fames
Mercede victum quærere : hic paucos dies,
Horresco referens, pastor heu porcis datus,
Ægréque vivens mansit.

PATER.

Hoc deerat malis
Hoc te manebat sortis opprobrium ultimæ !

In istud ego te nate genueram parens!

PHARES.

At seu probrosæ sortis ingenuam indolem
Pœnituit, ut ego, credo, seu quidquid fuit
Proripuit hinc se mœstus, & vertit solum,
Nec visus usquam deinde, nil scire amplius,
Omni labore cuncta dum lustro, datum est
Et consili expers omnis huc retuli pedem.

PATER.

Ubi te requiram nate, nunc terris quibus,
Quibusve procul hinc exulas miser locis?
Ubi te requiram? quin redis & cur vagus
Hinc alio aberras? quin redis & te patri
Refers amanti? cuncta nunc desunt scio,
Tibi in paterna na te nil deesset domo.
Quam timeo ne te durus impediat pudor!
Ah nil moretur: sum tibi semper pater,
Tete fefellit error incautum malus,
Ætas fefellit; omnia ignosco, redi
Ubicumque nunc es nate, confide, & redi.

SCENA VI.

PATER, FILIUS Major, PHARES.

FILIUS.

Nondum remisit corde sedato dolor.

PATER.

Quin imò crescit, crescere & nimium decet.

FILIUS.

Quid istud?

PATER.

Audi nate quid referat Phares.

FILIUS.

Quid est?

PHARES.

Id unum nempè de puero liquet,
Nudum atque egentem rebus ejectum omnibus
Porcos coactum pascere & siliquis famem
Lenire longam; donec indignam pudor

Abjicere ſortem ſuaſit, aufugit procul,
Nec deinde viſus, ubi ſit, incertum hactenus.

FILIUS.

Paviſſe porcos potuit; indignum nefas!

PHARES.

Fames premebat.

FILIUS.

Non fuit ſatius mori?

PATER.

Quid iſta quereris nate? mirarer magis.
Peccare poſtquam cœpit infelix puer
Si genere nil feciſſet indignum ſuo;
Culpam priorem & illa debuerant ſequi.

FILIUS.

Sed tu quid ultra perditum defles pater?
Quid agas? perire voluit, & meruit nocens.

PATER.

Voluit perire, at interim infelix perit.

FILIUS.

Servare lachrymis poſſe num ſperas tuis.

PATER.

Animo dolenti nulla dehinc ſupereſt quies,
Nullum levamen, donec inventum domum
Tandem reducam.

FILIUS.

Quærere hunc iterum paras?
Qui ſi rediret ſponte, pellendus foras
Procul eſſet... At tu deſeres ſic me pater
Tibi obſequentem, natum ut indocilem, improbum,
Tibi rebellem generis indignum ſui
Alio requiras? Sed vide quam te dolor
Male turbet æger: perge, ſi fixum eſt tibi,
Sed quo ſequeris? parte quâ mundi vagum
Vagus requires?

PATER.

Neſcio, at quæram tamen,
Quærendo moriar.

FILIUS.

Genitor attendis ſatis?
Ignoſce verbis; an tibi mentem dolor

Dejecit uſque ? poſſe me credis pati ?
Non patiar unquam, non ſinam, id pietas vetat,
Et hoc in uno, cætera ad nutum obſequens
Tibi reſiſtam.

PATER.

Tu quoque hinc pariter Phares
Abſcede, nemoris antra dum quæro intimi
Atque hic dolorem lachrymis paſco meum.

SCENA VII.

PATER, FILIUS PRODIGUS.

PATER.

O Nate....

Sed quis propius huc hoſpes venit ?
Cur refugit intro... fallit an rurſus dolor ?
Accedit iterum ; quiſquis es, quiſquis venis
Accede propius ! viſcera : ut trepidant mihi
Concuſſa... Natus credo.

PRODIGUS.

Peccavi pater

In cœlum & in te.

PATER.

Nate te video!

PRODIGUS.

Vides!

Et pœnitentem.

PATER.

In patris amplexus rue

Deflecte longum nate.

PRODIGUS.

Quid natum vocas,

Quem fecit illo nomine indignum, ſcelus.

PATER.

Tun nate? ſurge nate, non ultra fero

Genibus jacentem.

PRODIGUS.

Non in hanc ſpem ſum redux

Ut rati apud te indignus obtineam locum

Olim licebat, crimen hoc mihi abstulit,
Unum oro, patere servus ut fiam tibi.

PATER.

Tun servus? imò nate succede ut prius
In jura nati, quóque jam dubites minus
A patre natus pignus hoc certum feres.*

PRODIGUS.

Pater.

PATER.

Quid obstas annulum hunc digito inseram
Frustra repugnas, Ocyus, nemo? Ocyus
Huc aliquis... aderit nullus?

PRODIGUS.

Absiste.

PATER.

Ocyus.

Huc aliquis.

* Dat annulum.

SCENA VIII.

PATER, FILIUS PRODIGUS, PHARES.

PHARES.

Adsum

PATER.

Natus en nobis adest

Tandem receptus ô Phares.

PHARES.

Faustam diem!

Quæsite frustra, tamdiu! ô quanto patrem

Mœrore solvis!

PATER.

Repete festinus domum

Dignæ parentur filio vestes meo

Lætumque nobis instruas convivium


Festivus omnem recreet cantus domum

Veteréſque luctus gaudium excipiat recens

Et vitulus etiam mox ſaginatus cadat
Nato recepto furere dulce eſt ac pium
Præcurre citius, ſequimur actutum Phares.
At tu beato redditus tandem patri
Comitare patrem nate, jucundus comes.
Cedamus intro, poſtque tam longos dies
Et tot labores te meo foveam in ſinu
Oculóſque viſu liber ex ſatiem tuo.

Finis ſecundi Actus.





ACTUS III.

SCENA PRIMA.

FILIUS ELIAB.

FILIUS.

SIc est gementem turbat in tantum dolor,
Se velle abire clamat & profugum sequi,
Qui nunc superfit necne, nil certi tenet,
Nec ubi sit usquam; tu male afflictam precor.
Medicare mentem, & si potes tandem juva.

ELIAB.

Preces omitte, quod petis præsto libens.
Nimis dolori fateor indulget suo;
Modo hic gementem repperi, & causam novi
Mœroris ægrè precibus expressi adgemens.
Verbis amicis lenii quantum improbus
Dolor sinebat, cumque clamaret miser

Se velle natum qualibet mundi plagâ
Quærere vagantem, cuncta dum puero timet;
Meliora suasi, faceret ut saltem moram
Dum servus ille missus & nondum redux
Aliquid referret. Rediit ut dicis domum,
Nihílque certi retulit?

FILIUS.

Omninò nihil
Ubi sit, ubi erret frater, obscurum est adhuc;
Fugisse constat; perditis inopem bonis
Sed quo inde pulsus fugerit, nemo docet.

ELIAB.

Quam graviter istud nuntium, afflicti senis
Pepulerit ægrum pectus, hinc facile auguror.

FILIUS.

Plusquam ipse credas, quamque pro causâ decet.

ELIAB.

Et facile credo, seque sic probat patrem.
Ignosco patri. Sentio, extremûm furit
Totasque patrius exerit vires amor

Emolliendus ſenſim & haud durâ manu
Tractandus ægro corde qui ſidit dolor.

FILIUS.

Spes omnis in te ſi qua,

ELIAB.

Confide interim,
Unum hoc monebo, cede tantiſper patris
Juſto dolori, dixerit quidquid, proba.
Lachrymare cum lachrymante; ſi natum ſequi
Se velle clamet, ultro te comitem viæ
Spondebis ipſi, tempus interea feret
Animo medelam. Sed nimis dudum moror;
Subſiſte paulum dum domi aggredior ſenem.



SCENA II.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS.

MANASSES.

ET te otiosum rursus hic deprendimus?
Pudet pigetque me tui, quam non sapis!
Dum nos beatam duximus sylvis diem
Agitando celeres canibus & telis feras;
Nec ille vanus extitit nobis labor
Et multa nostras præda ditavit manus.

AZARIAS.

Te præter unum, defuit certe nihil,
Sed spernis ista, spernis, & merito quidem;
Pugnare timidis nempè quid pulchrum feris
Totámque frustra defatigari diem?
Stulta hæc voluptas, dulcius quanto fuit
Mœsto assidere mæsta volventem seni!
Nimis hoc beatus more vivendi, nimis.
Felix videris, perge si credis mihi,

Nil melius, hoc est sapere.

FILIUS.

Vos duri nimis

Quibus tot actus & tot afflictus malis
Curisque pressus, non satis videor miser.
Nostro & dolori per nefas illuditis;
Ridere nempè deceat in luctu patris?

MANASSES.

Si justus ille fuerit, & rectus dolor
Nihil vetamus; si senex frustra angitur
Nec digna subsit causa, cur ultro comes
Adsis dolenti quæso, & amentem adjuves?

FILIUS.

Ut iniqua fuerit causa, num minus doles,
Minusque pietas ferre subsidium jubet
Misero parenti? .... Sed quis hic strepitus meas.
Percellit aures?

AZARIAS.

Triste nil fert hic sonus.

Ni fallit animus, te bonus ludit senex,

Dumque hic querelis personas totum nemus
Ducit choreas ille & epulatur domi.

FILIUS.

At ista omitte quæso, jam monui & piget
Non hic jocandi tempus. Exquiro Ocyus
Quid fuerit istud. Sistite hic, redeo statim
Sed ecce nobis commodum pastor subit.

SCENA III.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS, PASTOR.

FILIUS.

Pastor, quid istud audio & cytharæ sonant,
Unde ille sonitus?

PASTOR.

Unde? & ignoras?

FILIUS.

Age?

Quid strepitus ille & unde.

PASTOR.

Dicam si jubes.

FILIUS.

Dic ergo jubeo.

PASTOR.

Gaudium magnum est domi.

FILIUS.

Quæ causa tandem ? loquere num domi est pater ?

PASTOR.

Et est, & author ipse lætitiæ omnibus
Ultro morantes vel suo exemplo incitat
Ridet, jocatur, saltat, epulatur probe.

AZARIAS.

Audis amice, non prius dixi tibi?
Te ludit ille.

FILIUS.

Non sines . . . . causam refer.

PASTOR.

Dicam lubenter.

FILIUS.

Ede.

PASTOR.

Dum pasco greges,
Lætos strepentis audii cytharæ sonos
Gregibus relictis curro confestim domum
Ibi cuncta video læta, festiva omnia
Causam requiro, tum manu prensum Phares
Compellit intro, ut vidi, ut obstupui simul!
Mensæ sedebat medius ante epulas pater;
Vidi assidentem proximè adolescentulum
Quem mox in isto gramine ignotum mihi
Fueram allocutus, multa quærentem tuo
De patre, vestris opibus & totâ domo,
Lacerum & pudendis, squallidum laciniis,
Nunc totus auro fulget; agnovi tamen
Et vocem & ora, tum quis hic hospes foret
Famulos rogavi, hunc esse confestim tuum
Dixere fratrem, cujus adventu pater
Nimis beatus gaudio indulget suo;
Epulatur hilari fronte nec sese capit,

FILIUS.

Num vera loqueris?

PASTOR.

Verius credas nihil
Vidi ipſe fratrem cum pater lætis tuum
Amplexus ulnis premeret & ſuo in ſinu
Foveret ardens, te ſtatim accerſi jubet,
Et cupide in hujus gaudii partem advocat.

FILIUS.

Me nempè? paſtor repete confeſtim domum
Mihi exulare patria fixum domo
Refer parenti.

SCENA IV.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS.

FILIUS.

Patiar hoc ultra & feram?

AZARIAS.

Patiere placide, quidquid est, placide feres.
Tu nempè quidquam tam bono auderes patri
Regerere? qui si te domo expellat suâ
Toto obsequaris pectore & grates agas.

FILIUS.

Non si ipse veniat ultro, & accersat, sequar.

MANASSES.

Amice vera si licet tecum eloqui,
Hac sorte dignum te tuâ culpâ facis.
Pietate peccas nimiâ & ardenti noces
Tibi ipse studio, dum patri ad nutum obsequens
Fecisse quidquam, quod grave huic fuerit, times.
An sic amorem patris & curas miser
Te demereri posse sperabas tui?
Errasse te jam fatere. Quam prudentior
Tuus ille frater! abiit, absumpsit bona
Sprevit parentem, sponte deseruit; redit
Mendicus, omnium egenus, & lachrymis tribus,
Tribúsque verbis credulum exarmat senem,

Statimque toto lætus, excipitur ſinu.
Et quem manere pœna debuerat gravis,
Suo ille feſtam recreat adventu domum.

AZARIAS.

Quam plaudit ille nunc ſibi & ſeſe libens
Deoſculatur, téque jam præ ſe, puto,
Contemnit: epulis fruitur & patri aſſidet,
Blandiſque verbis captat & ludit ſenem
Suâ beatus ſorte, ſecurus tui.
Deſpectus & neglectus indignum in modum
Tibi videris? quantulum fieret moræ
Dum tu venires gaudii in partem novi?
Te nempè? curant iſta! ſic te aliquem putas
Præſente fratre? quandiu hic domo abſuit
Primas tenere licuit in tantum tibi;
Nunc rediit ille? credo pelleris foras.

MANASSES.

Quin imo quoniam patria conſumpſit bona
Scribetur hæres de tuo, abſtineas queri
Ne partis etiam ſorte fraudatus tuæ

Egere

Egere discas.

FILIUS.

Ergo pietate pater

Nostræ hæc rependis, præmium obsequii hoc fero!

SCENA V.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS, PHARES.

PHARES.

Herus ubi quis docebit?

FILIUS.

En coram vides.

Satísne bellè cuncta succedunt domi?

Id nunc refers? Epulísne concessum satis!

Relictus ego sum, video, ne lætam diem

Et dulce vultu gaudium inficerem meo.

PHARES.

Meliora quæso verba; quin jam te diu

Pater requirit & domum enixè vocat.

Unum hoc deesse queritur, atque ardens petit;
Plenam ut recepto fratre lætitiam ebibat,
Quem si beare, quod soles semper, cupis
Accurre citius: frater hoc etiam rogat
Et abesse queritur, ardet amplecti, moras
Abrumpe quæso & advola.

FILIUS.

Hoc etiam deest
Fratris triumpho, nec sibi felix adhuc
Satis videtur, ni mei testis probri
Victoriæque plausor accedam suæ.

PHARES.

Et ista sentis? sic tibi notus pater?
Nec ipse notus jam satis frater tibi;
Injuriam utrique iniquus interpres facis
Ah quid diem turbare tam lætam paras?

FILIUS.

Forem molestus, gaudium hoc dulce & pium
Turbare metuo.

PHARES.

Metuis, & turbas magis

Domum revertor; ipse se sistet tibi

Si cogis, atque hanc eluet labem parens.

SCENA VI.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS.

FILIUS.

Accersor illuc scilicet: facile carent

Nimium molesto teste.

AZARIAS.

Sic decuit loqui

Et istâ demum fronte te præstas virum.

MANASSES.

Laudo, proboque; te tibi tandem assere,

Nec facilitate pater abutatur tuâ.

AZARIAS.

A patre passus tale si quidquam forem

Nunquam videret patria me posthac domus.

SCENA VII.

FILIUS, MANASSES, AZARIAS, ELIAB.

ELIAB.

Quid vos? quid animum sponte jam ardentem suâ
Exulceratis? serere quid turbas juvat
Socii infideles? quis furor tandem movet
Natum inter & patrem odia miscere improba?

MANASSES.

Quid nos querelis non bene incusas tuis
Hunc si malignè despici, dum se patri
Præstat fidelem, quidquid adversum feras
Nobis probari non potest.

AZARIAS.

An tu probas?
Sed quid moramur? si quid melius vides
Defende causam patris, obstamus nihil.

SCENA VIII.

FILIUS, ELIAB.

ELIAB.

TAles amicos tu tibi imprudens facis,
Audísque, qui te mente dejiciunt tua.
Ubi illa pietas priſtina & ſolitus pudor?
Duro atque iniquo quid patrem luctu enecas?
Quid hic moraris tamdiu & domo abſtines?

FILIUS.

Pater abſtinere cogit, aut etiam jubet.

ELIAB.

Jubet ille? cui vel te ſine hau quicquam fuit
Dulce aut beatum.

FILIUS.

Frater acceſſit, locus
Cedendus ipſi.

ELIAB.

Utrique non deerit locus

An tu recepto fratre lætari patrem
Rugisque frontem solvere heu durus vetas?

FILIUS.

Hæc justa nempè causa lætandi fuit.

ELIAB.

Fratrem memento frater.

FILIUS.

Et memini & pudet.

SCENA IX.

FILIUS, ELIAB, PHARES.

PHARES.

Domo en relictâ trepidus accurrit pater.

FILIUS.

Ego hinc recedo.

ELIAB.

Quo fugis? vel quem?

FILIUS.

Sine.

ELIAB.

Ten fugere patrem.

PHARES.

Quid agis ? abſiſte & mane.

SCENA X.

PATER, FILIUS, ELIAB, PHARES.

PATER.

Ubi ergo natus ? nate num patrem fugis ?
Intrare noſtram quid piget tantûm domum ?

FILIUS.

Expellis ipſe.

PATER.

Quid ita ? te pulſum velim
Ego nate ?

FILIUS.

Durum eſt iſta te coram queri
Sed video noſtra quam tibi placeat parum
Pietas fidéſque.

PATER.

Nate quid loqueris? placet
O nate pietas illa, ne dubita & patri
Semper placebit.

FILIUS.

Sic tibi gratam probas?
Ego hic tot annos en tibi morem gero
Operámque præstò sedulam & domi & foris,
Nec jussa præterire vel minimum tua
Quidquid juberes contigit; præsto fui
Ubique, fidus & minister & comes
Nihil recusans oneris. Et quando tamen
Hædum dedisti de grege, obsequii memor,
Epulis amicos unquam ut exciperem meos?
Et ecce postquam huc opibus absumptis redit
Meus ille frater, hunc tuo in gremio foves
Injuriarum & veteris oblitus fugæ.
Huic tota læto perstrepit cantu domus
Lymphata, vitulus huic saginatus cadit,
Id te volente, méque neglecto: & feram?

PATER.

Quid ista memoras nate ? num tædet tui ?
Tibi nil negavi. Gregibus utare ut libet,
Occide, sume, sunt tui, & cupio & volo
O nate, quidquid est meum, id pariter tuum est.
At decuit epulis trahere jucundam diem,
Quod ille visus ante qui fuerat mori
Frater revixit, quique perierat diu,
Inventus hodie est.

SCENA XI.

PATER, FILIUS MAJOR, PRODIGUS, ELIAB, PHARES.

FILIUS PRODIGUS.

Video : vos inter redux
Meo ipse reditu jurgii causam attuli.
Me natum iniquâ sorte, qui sive exeam,
Fugiamque patrios, sive post repetam lares
Totam [illegible] repleam luctu domum.

Me cedere æquum est; abeo, majori decet
Natu minorem cedere & justo improbum:
Mecum recedet pariter hæc discordia.
Vos agite longos me sine & faustos dies.
Ut cunque de me fuerit, ut spero Deus
Mihi providebit, suppetet victum labor:
Istæ laborem ferre dedicerunt manus;
Quod si negatur, veniet auxilio, & dabit
Non dura nostris mors cito ærumnis modum.

FILIUS Major.

Ah siste, frater, siste.

FILIUS PRODIGUS.

Quin imò abstine
Vocare fratrem nomine indignum hoc pio:
Méine jam me sceleris oblitum putas?
Versatur oculis semper & nunquam excidet.
Ego heu! parentem, téque deserui, nefas!
Sperare quidquid licuit è patriis bonis
Luxu pudendo perdidi, & superest nihil.
Non ideo veni, testor, ut quidquam tibi

Per me imminutum patrio è censu velim.
Mea periere, quidquid hic superat, tuum est.
Scit genitor, unum id petii ut in servi locum
Famulas vel ipsi vel tibi offerrem manus.
Id oro, servum recipe, si fratrem abnegas.

FILIUS Major.

Ah frater, absit, te mihi fratrem abnegem,
Evincis animum, frater es semper mihi,
Erísque semper, esse sed fratrem parum est,
Eris & cohæres.

FILIUS PRODIGUS.

Istud ah nimium est, sine
Utrumque coram frater amplectar genu.

FILIUS Major.

Omitte frater, surge & amplexu pio
Solare fratrem.

PATER.

Quas tibi magnas satis,
Quas deinde grates summe per solvam Deus
Qui me jacentem tot bonis demum beas

Per te, receptus redditur tandem patri
Uterque natus. Hic tuam agnosco manum,
Flectíque numen facile; cedamus domum
Dignóque tantum honore veneremur Deum:
Nobis amicum, qui luti nostri memor
Occidit idem justus, idem exsuscitat,
Qui perdit & qui perditos rursum erigit.

Finis tertii & ultimi Actus.





IN

REGIAS NUPTIAS LUDOVICI BURGUNDIÆ DUCIS ET ADELAIDIS VICTORIS AMEDEI SERENISSIMI SABAUDIÆ DUCIS FILIÆ

Post promulgatam totâ Europâ pacem celebratas.

EPITHALAMIUM.

ODE.

MUsa quid cessas ? scelus est tacere
Dum novo latè sonat aula plausu
Publicis, plectro sociante, vocem
Inserere votis.

Hactenus ſi te ferus ille torvo
Terruit Mavors pavidam tumultu,
Barbari motus cecidere belli:
Pone timorem.

Qui prius centum LODOICUS hoſtes
Vicerat, partis gravidus triumphis
Obtulit pacem populi decoro
Tactus amore.

Sed diù fruſtra, niſi mox ſequeſtros
Adderet felix hymenæus ignes,
Et duces inter medius cruentas
Solveret iras.

Ille Bellonam mediis in armis
Viderat diro ſonitu frementem,
Riſit & dulces oculos Sabaudâ in
Virgine fixit.

Cui ſacræ ramum quatiens olivæ,
Hunc habe virgo generoſa ramum
Dixit & tetros, quibus ardet orbis,
Frange furores.

Ipſa felici decorata fronde
Aſperas curru ſuperavit alpes ;
Qua volat, ſciſſâ furialis alâ
Cedit Enyo ;
Monſtra pallentes fugiunt ſub umbras:
Dum trucis belli, ſcelerúmque finem
Nuntiat pacis modo naſcituræ
Augur & obſes.
Hinc Hymen vates tibi plaudit omnis,
Vincis ô felix Hymenæe vincis,
Pax laborantes duce te reviſit
Aurea terras.
Tange, nunc tempus, face nuptiali
Regios qui ſe tibi dant amantes
Et datam firma thalami ſacrato
Fœdere pacem.
Dum loquor feſtæ ſubit ordo pompæ,
Lucidis crines religata gemmis
Sponſa procedit, teneróque fulget
Juncta marito.

Innocens circum volitat cupido
Quem joci, risus, comes & juventa
Et leves zonis charites sequuntur
Rite solutis.

Sis tuis longum populóque felix
Conjugum par dulce tibi faventes,
Læta devolvant meliore filo
Fata sorores.

Nupta, virtutes imitare matris,
Regios mores, animúmque fortem:
Te sibi talem, genus unde matri,
Gallia poscit.

Sponse, virtutes imitare patris
Sic Avum & Patrem referes in uno,
Te sibi talem, genus unde ducis,
Gallia poscit.


Sic erit; celsæ probat illa frontis
Blanda majestas, oculique vivâ
Luce fulgentes, generísque fatum &
Nominis ingens.

Illa virtutis LODOÏCE digna
Te decet, cælo tribuente merces,
Neminem certe potiore Regem
Prole beavit.

Nec tot Augustæ numeravit olim
Palmites gentis, nec Avum Nepoti
Ante te Regem properare tædas
Gallia vidit.

Crescat hæc longum soboles in ævum
Et tuos quondam renovans triumphos
Territet gentes, rigidisque pacem
Quærat in armis.

At tibi nostros superaddat annos
Qui polo regnat Deus, ac Nepotis
Cernere in multâ Lodoïce detur
Pace Nepotes.





SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO CONDÆO

CUM


Patribus Collegii Ludovici Magni Societate Jesu. Aprum venatione captum dono mitteret.

CRedam, quod umbras inter, & nemorum avia,
Dum te voluptas innocens
Certo paventes ſpiculo urgentem feras,
Et gratus exercet labor:
Credamne menti quod recurrimus tuæ,
Ne. uſque noſtri te piget
Condæe? cogis credere, & pignus recens
Ac dulce monimentum probat.
Hirtis rigentem vidimus ſetis aprum
Dignum lycæis montibus;
Adhuc cruento dente, & immanes adhuc
Poſt fata ſpirantem minas;

Qualis prementes ore fulmineo impetens,
　　In mortis autores suæ
Ictus parabat & necem reflectere
　　Inultus indignans mori.
Quin ille nobis, sic vel extinctus, metum
　　Afferre poterat haud levem,
Nisi assuetos dirioribus feris
　　Hæc monstra terrerent minus.
Nec sola pulchri sylva Cantilii truces
　　Condæe nutrit belluas.
Grassantur alibi sæviores, & quibus
　　Nec vultus idem nec color,
Sed una rabies, unus atque idem furor
　　Quacunque lymphatas rapit.
Illas tuetur numerus atque audacia,
　　Oestróque quodam percitæ
Lætas beatis ruris evertunt opes
　　Ni prompta succurrat manus;
Huc tela verte, si tuis dignus tamen
　　Videtur hic telis labor.

At nos gementes, interim blando erigis
Et allevas solatio,
Dum munus ate ferre præclarum jubes
Amoris indicium haud novi;
Namque hic acerbis undique oppressos malis
Quâ mente munus hoc putas
Tulisse, Princeps, quos benignitas tua
Ultro jacentes excitat?
Recreare mæstam sortis heu nimium asperæ:
Tu velle potuisti vicem?
Dum fracta cedit sensim amicorum fides
Constans amicum te probas!
Animi faventis tempore adverso notas,
Generose Princeps, sensimus;
Hærent medullis altè & æternum intimo
Mansura vivent pectore;
Quis non pericli hæc inter oblitus sui
Vultus serenos efferat?
Hinc jam malignos impetus nocentium
Minus timere discimus:

Fremant, minentur; fortis, hoc uno, tamen
Solamur inclementiam,
Te nempè nobis, cætera ut possit furor,
Auferre amicum non potest.





DIVÆ MAGDALENÆ
FLENTI
AD SEPULCHRUM CHRISTI.
ODE.

QUid fles, triſtis amans, quem tibi tertiâ
Ereptum tumulo reſtituet dies
Mirâ luce beatum
Et mortis ſpoliis gravem
Chriſtum? ſupplicio te nimis ah! truci
Torſit, cum Dominum perfida gens ſuum
Tanti neſcia fati
Diris conficeret modis.
Qui dum funereâ pendulus è cruce
Extremos moriens duceret halitus,
Eheu mollia claris
Fixus membra trabalibus;

Qui ſenſus tibi tum, quæ facies erat?
Quot ſuſpiria, quot pectore ab intimo,
Crines vulſa decoros,
Nequicquam gemitus dabas!
Dixiſti quoties, ipſa vicarium
Præbens carnificum vulneribus caput,
Chriſto parcite tantum
Et me figite barbari.
Credo, quot lacero corpore pertulit
Quot foſſis manibus, tot quoque Saucio
Plagas corde tuliſti,
Chriſto commoriens tuo.
Dum turpi Dominus ſupplicio perit
Infidos comites expulerit timor,
Hoſtes mille, neceſque
Inter, neſcit amor metus.
Perſtas ante crucem fortis ad ultimum,
Mox ultro famulas excipis in manus
Caſſum lumine corpus,
Nardóque & lachrymis lavas.

At nunc quod fupereft, ad tumulum fedens
Mæftas ante fores excubias agis,
Caros ne quis amores
Fraude heu! furripiat mala!
Omnem pone metum, triftis amans, modo
Præfentem afpicies & reducem tibi
Sacris dulcia plantis
Ardens ofcula figere.



DOMINICO



DOMINICO BUHURSIO

SOCIETATE JESU.

Pro restituta in integrum valetudine.

ODE.

VIvis, ô vivis! bona vox, BUHURSI,
Heu nimis longo cruciate morbo!
Vivis & mœstis redivive vitam
Reddis amicis.

Nec lien cæco metuendus æstu
Noxios mittit capiti vapores;
Nec pedes ultra gravis impeditos
Lancinat humor.

Puriùs jam frons nitet, & sereni
Explicant se se sine nube vultus;
Jam redit risus, potiorque gemmis
Somnus & auro.

M

Quis fuit Divûm medicâ solutum
Efficax dextrâ recreare corpus?
Sensimus certè facilis potentem
Numinis auram.

Gratius nam quid precibus tuorum
Annuat vitæ pater atque custos?
Quis suo fœlix tua non retardet
Funere fata?

Spondeo, si non Superi minorem
Victimam spernent, tibi substitutum
Obligo votis caput, & recedo
Sponte sub umbras.

Audiat qui te superesse nobis
Invidet frustra, doleatque longûm.
Audiat qui te superesse nobis
Gaudet amicus.

At malo tandem monitus, memorque
Unde fatalis tibi causa morbi,
Parcus hinc libris, studióque crede
Parcus edaci.

Scimus ut blandam insinuans per artem
Afficis doctas numerosus aures;
Sed tuo, dicam, gravis est periclo
Empta voluptas.

Ingenî virtus inimica lætum
Corporis sensim minuit vigorem;
Et domum haud æquam male turbulentus
Subruit hospes.

Gallicæ vindex, nec iniquus audis
Arbiter linguæ, pater & leporum:
Te novâ sacri meritum labores
Luce coronant.

Dege fœlicem placidus senectam,
Dege; vixisti satis inquietis
Hactenus Musis, Patriæ, tuisque,
Nunc tibi vive.





TRADUCTIONS

DE L'ODE LATINE


Sur la guerison du Pere BOUHOURS.

I.

TU revis, cher BOUHOURS, agréable nouvelle!
Cher BOUHOURS enfin tu revis
Aprés les longs tourmens d'une langueur mortelle;
Et fais en même-temps revivre tes amis.
Tu ne ressens plus les atteintes
De ces malignes vapeurs,
De ces cruelles douleurs
Qui firent ton supplice & causerent nos craintes.
Ton front s'est éclairci; plus de triste nuage;
Un feu vif & brillant vient ranimer tes yeux.
Le sommeil te redonne un bien plus précieux,
Que les riches trésors du Pactole & du Tage.

Quelle main juste & ſécourable
De tes maux a rompu le cours ?
Un Dieu, n'en doutons point, à nos vœux favorable,
A pris ſoin de tes jours.
En nous comblant de mille biens,
Eût-il pû mieux contenter nôtre envie ?
Ah qui de nous pour toi prodigue de ſa vie,
Aux dépens de ſes jours n'eût racheté les tiens.
Je le jure, & mon cœur m'en impoſe la loy :
Oüi, ſi le Ciel touché de l'ardeur qui m'anime,
Daigne en te conſervant m'accepter pour victime ;
Trop content de mon ſort, je m'immole pour toi.
Mourez-en de dépit, vous qui vouliez ſa perte ;
Et puiſſiez-vous long-temps la déſirer en vain.
Mais vous qu'on vit cent fois trembler ſur ſon deſtin,
Faites paroître amis une allegreſſe ouverte.
Que ce danger, BOUHOURS, ſerve au moins à t'inſtruire.
Souviens-toi quelle fut la ſource de tes maux.
Un excés de travail te cauſa ce martyre ;
Pour prolonger tes jours, modére tes travaux.

Rien n'égale, il est vray, les beautez & les charmes
Que tu répans dans tes écrits ;
Mais ils nous coutent trop d'allarmes ;
Et nous ne voulons point de plaisirs à ce prix.
Comme une flamme subtile,
L'esprit mine le corps, ou comme un poison lent ;
Et la maison trop est fragile
Pour un hoste si violent.
Joüis de ces travaux qui t'ont comblé de gloire.
Arbitre sur la Langue, on se régle sur toi :
Un ouvrage tout saint, heureux fruit de ta foy,
Va consacrer ton nom & ta memoire.
Devoüé de tout temps aux tiens, à ta Patrie
Cher BOUHOURS, au repos tu te dois aujourd'hui :
C'est assez vivre pour autrui ;
Joüis enfin pour toi du reste de ta vie.



I I.

LA ſanté, cher BOUHOURS, à la fin t'eſt renduë ;
Cette heureuſe ſanté ſi long-temps attenduë :
Et ceux qui ſur tes maux mouroient preſque d'effroi,
Puiſqu'enfin tu revis, revivent avec toi.

Non, tu n'es plus en proye à ces douleurs cruelles,
Qui nous donnoient helas tant d'atteintes mortelles.
De ces triſtes vapeurs, qui te faiſoient languir,
Il ne te reſte plus que le ſeul ſouvenir.
Tes yeux ſont ranimez, ton front eſt ſans nuage ;
Et le ris de retour ſe peint ſur ton viſage.
Le ſommeil, qui pour toi n'avoit que des rigueurs,
Te prodigue aujourd'hui ſes plus douces faveurs.

Quelle puiſſante main daigne eſſuyer nos larmes,
Et par de tendres ſoins fait ceſſer nos allarmes ?
Publions-le par tout, cher BOUHOURS, ta ſanté
Eſt le préſent d'un Dieu pour nous plein de bonté ;
D'un Dieu qui déſormais à nos déſirs propice,
Voudroit en vain nous rendre un plus aimable office.

En eſt-il parmi nous, qui plein d'un doux tranſport,

Pour prolonger tes jours, ne courût à la mort ?
Si jamais, écouté des fiéres destinées ;
Je puis, foible victime, épargner tes années,
La vie alors pour moi devenant sans appas,
On me verra courir & voler au trépas.

Des sermens que je fais soyez dépositaires,
Vous lâches envieux, & vous amis sinceres :
Vous lâches envieux, craignez encore ses coups,
Vous sincéres amis triomphez avec nous.

Quant à toi digne objet de nôtre inquiétude,
Ne t'abandonne plus à ces excès d'étude.
Tu sçais ce qu'il en coûte, inimitable Auteur.
Tu peux à moins de frais contenter ton Lecteur.

Par les traits délicats de ta plume divine,
Tu charme, il est vrai, l'oreille la plus fine :
Mais, sans être cruel, oseroit-t'on goûter
Un plaisir que si cher il nous faut acheter ?

L'esprit qui du travail suit les douces amorces,
Du corps avec le temps dompte & détruit les forces ;
Le mine, le consume, & par de longs efforts

De la machine enfin brise tous les ressorts.
Arbitre du bon goût, pere du beau langage,
Daigne nous faire part de ton dernier Ouvrage.
Ce chef-d'œuvre sacré couronne tes travaux:
Tu peux, comblé de gloire, aspirer au repos.
Jusqu'ici, tes amis, les Muses, la Patrie
Ont joüi seuls des fruits d'une penible vie.
Libre de tant de soins, ah cher BOUHOURS, crois moi,
Il est temps désormais que tu vives pour toi.

DE LA CHASSE J.

III.


ENfin BOUHOURS, vous vivez,
Vos amis, vous le sçavez,
Etoient toujours en allarme:
Quel bonheur pour eux! quel charme!
Enfin, BOUHOURS, vous vivez,
Déja sur vôtre visage,
Je ne lis plus de douleurs;
Et ces mortelles vapeurs
N'y forment plus de nuage.

Le sommeil, par son retour,
De vos maux vous dédommage,
Et fait briller à son tour
Cet air doux qui nous engage.
Mais quelle Divinité ?
Quelle suprême Puissance
Vous redonne la santé ?
Le Ciel fut nôtre esperance,
Pendant ces jours douloureux,
Le Ciel écoute nos vœux :
Qu'il prolonge vos années,
Aux prix de nos destinées.
Ah ! nous y souscrivons tous,
Et sans differer, pour vous
D'abord je me sacrifie,
S'il daigne accepter ma vie.
Pour tant d'ennemis jaloux,
Que vôtre mérite efface,
Quel malheur, quelle disgrace,
S'il vous conservoit toujours !

Songez cependant, BOUHOURS,
Que ces travaux, que ces veilles,
Source de tant de merveilles,
Ont aſſez troublé vos jours.
Le plaiſir eſt grand ſans doute,
De charmer par vos écrits
Les plus délicats eſprits:
Mais aprés tout il vous coûte,
Et ce génie élevé,
Qui ne ſouffre qu'avec peine,
Un corps mortel qui le géne,
Auroit bien-tôt achevé
D'en rompre la foible chaîne.
Finiſſez donc vos travaux,
Pere de la politeſſe,
Et joüiſſez en repos
D'une honorable vieilleſſe.
Mais les Muſes ſur ce point?
Gardez-vous de les en croire;
Elles ne ſe laſſent point,

De voir augmenter leur gloire :
Vos travaux leur ſont trop doux ;
Ils les rendent immortelles,
Et c'en eſt aſſez pour elles.
Vivez déſormais pour vous.

DE COURBEVILLE J.





CAROLO-FRANCISCO-FREDERICO

MOMORANCIO

DUCI LUXEMBURGICO

NORMANNIÆ PROREGI

ROTOMAGUM ADVENTANTI.

O D E.

MÆstis Neustria fletibus
Tandem pone modum, desine lugubres
Instaurare sonos, novis
Dum latè resonant oppida plausibus.
Tristes ducere nænias
Luctu in funereo tempus erat priùs,
Cum parcæ immeritum mori
Crudeles raperent quem gemuit ducem
Damno non reparabili
Amissum, assiduis Gallia planctibus

LUXEMBURGUM atavis parem.

Et te, ſic decuit, Neuſtria cæteris
Compreſſit dolor arctius;
Sed nunc qui properat filius humidis
Abſterget lachrymas genis
LUXEMBURGIADES, & tibi debitum
Præſens reſtituet patrem.
Jam raucus litui clangor, & æreo
Clareſcunt ſonitu tubæ;
Cives ipſa Rotomagus parens
Portis omnibus obvios
Matres atque ſenes, & teneras nurus
Et miſtos juvenum choros
Offert lætitiæ pignora publicæ.
O Sanguis MOMORANCIUS!
Heroum ſoboles, Neuſtriaci decus
Dulce & præſidium ſoli:
O votis toties Urbis & omnium
Exoptate fidelibus,
Tandem noſtra ſubis mœnia, & anxiam

Fœlix Rotomagum tuo
    Aſpectu recreas. Audierat patri
Te pugnis comitem omnibus
    Ignes per medios, difficiles manu
Maturaſſe vicariâ
    Palmas, non humili pulvere ſordidum,
Et denſas generoſius
    Perſultantem acies innumeris caput
Objectaſſe periculis;
    Hæc ante audierat, nunc oculis videt
Fatalem haud ſemel hoſtibus,
    Et diſcrimina per martia nobilem
Centum funeribus manum.
    Hinc plauſu inſolito plebs fremit undique,
Nec ſe jam capit impotens.
    Et me Pierio ſpiritus incitat
Major, plenáque numine
    Majus plectra ſonant. At tibi Belgicas
Lauros, & fera prælia,
    Et fuſi indecores Auriaci fugas

Quem Gallus premit inſequens,

Magnorúmque graves exuvias ducum

Heu tantum ſineret dolor!

Signis exprimerent æra nitentibus,

Manſuruſque diu lapis;

Quæ ſi Praxitelis digna laboribus

Non in marmore perleges,

Vivent in memori pectore civium.

Illic nobilis artifex

Virtutes referens & patris & tuas

Sacrâ ſculpſit amor manu,

Vivaci monumentum ære perennius.





AD DOMINICUM BUHURSIUM

SOCIETATIS JESU.

Cum Novi Teſtamenti Gallicam interpretationem ederet.


ODE.

IBit, BUHURSI, poſteris, ibit tuum
Inſigne nomen ſeculis;
Non quale vanâ vulgus authorum ſolet
Se ſe tueri gloriâ,
Aut qui doloſo blandiuntur molliter
Auréſque titillant ſono.
Te melior alis fama ſanctis ſublevans
Cœlo coronatum vehet,
Olimque ſacris additum ſcriptoribus
Jactabit ultro Gallia:
Hoc poſcit, hoc meretur, hoc ſpondet novi
Fructus laboris ultimus.

Piis & ante non semel laboribus
Doctam sacraveras manum,
Seu cum referres transfugam Sæcli, & Polo
Mox militantem IGNATIUM
Seu grande pectus Xaveri, atque animam alteri
Mundo celebrares parem,
Fideique quondam columen Albussonium
Turcásque Cedentes Rhodo,
Seu dicta Patru[illegible] & lectas opes
Cultu fideli pro[illegible]
Quid alia memorem plura, queis animum simul
Moréfque doctus instruis?
Ut Patria multum debeat facundia
Relligio plus debet tibi.
Sed vincit illud, crede, quo legis novæ
Mortale nequaquam sonans
Linguâ paternâ fidus interpres sacrum
Nobis volumen exhibes,
Candore puro, & dignitate simplici
Testatus authorem Deum.

Non hic adulter fucus involvit dolos,
Caſtamque corrumpit fidem,
Nudaſve voces aridus ſermo refert
Cœleſtis expers gratiæ;
Sed error omnis exulat, ſed innocens
Refulget elegantia,
Sed ſanctitatis aura ſe appingit ſuis
Simul ſecuta vocibus,
Et verba pariter, pariter ingenium exprimis
Vimque & latentem ſpiritum.
Nos impediti ſomniis inanibus
Laborioſè inutiles,
Fruſtra caducam ſterilis uſuram ſoni
Brevemque famam prendimus,
Peribit illa, nec diu authori ſuo
Poſthac ſuperſtes vixerit,
Et nomen ætas diſſipabit inſolens
Ceu ventus arentes roſas;
At te, BUHURSI, melior & terris manet,
Cœlo & ſequetur gloria,

Ac Christianam quandiu colet fidem,
Tuebiturque Gallia
Christo fidelis, tandiu nomen tuum
Virtusque prædicabitur,
Hâc spe beatus vivere, atque olim potes
Hâc spe beatus emori.





ILLUSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

JACOBO-NICOLAO

COLBERT

ARCHIEPISCOPO ROTOMAG.

NORMANNIÆ PRIMATI.

Pro recuperatâ Valetudine.

ODE.

NOn fruſtra eſt, pie Pontifex,
Quod junctas toties ſuſtulimus polo
Multis cum lachrymis manus.
Ceſſit lethiferi perfida vis mali,
Defunctúſque laboribus
Tandem te pavido reſtituis gregi.

Qui quantos misere anxius
Heu casu ancipiti sustinuit metus:
Cum pectus tibi non levi
Audiret trepidans vulnere saucium;
Atque artis dubias vices,
Crudelisque gemens auxilii gravem
Exhorresceret aleam!
Idem omnes habuit sollicitos timor:
Seu communibus additos
Aris, quos tibi adhuc fortius alligat
Sancto pax bona vinculo.
Seu quos par pietas, par amor & fides,
Quos vano strepitu procul
Sacris Relligio seposuit jugis
Ad nutus dociles tuos.
Seu quos ingenii munere divites
Durum pauperies onus
Arcebat gelidis vallibus Aonum;
Quos tu munificus pater
Fortunæ reparans damna liberius

In ſpem numinis educas.
Et nos præcipue, quos tuus arguet
Haud unquam immemores favor.
Sic omnes ſimilis perculerat dolor;
Rumor nam neque publicus
Quamvis fauſta ferens; nec manus efficax,
Spéſque haud vana medentium,
Ægram, verus amor dum timet omnia,
Curam depulerant ſatis.
Sed te nunc reducem, nunc propius videt,
Nunc vani fugiunt metus,
Et pulſis redeunt gaudia queſtibus.
Certas inſpicis omnium
In vultu, inque oculis, lætitiæ notas;
Nec luctus fuerat minor:
Tanti pene fuit, dicere nil moror,
Hoc quodcunque periculum.
Namquid grandem animam dulcius afficit?
Non ſi reddere victimas
Tercentum incolumi Præſule plebs paret;



REVERENDO P TRI

CAROLO DE LA RUE

CONCIONATORI EXIMIO

Cum se Flexiam otii causa contulisset ibique legendis SS. PP. & Scriptis Scribendis concionibus vacaret, anno 1691.

Simbolum Bombix in glomo suo conclusus cum hoc lemmate.

DIVIS ET REGIBUS.

AT vos ite procul, procul ite virentibus hortis
Impura proles vermium;
Parcite purpureos inter subrepere flores
Ne tristis heu contagio,
Dum sua depectit pretiosus vellera Bombix,
Infestet halantem thorum.
Aestus adest & jam fati melioris amore
Vivo sepulchro se abdidit.

N

Hic opus ... xit mirabile curâ
...us gratus atque regibus.
S... ...unc aræ Jovis, & delubra deorum, &
Regum superborum atria
Ostentant phrygiâ contextos arte tapetas
Ostro micantes purius:
Cedite Apellei, vincunt hæc fila, colores,
Vos fuci inanes cedite;
Seu libet insignes heroum effingere vultus
Aut fulminaturum Jovem;
Sive choros, Dryadum & venantis colla Dianæ
Crinesque Veneris aureos:
Cedite Apellæi, vincunt hæc fila, colores
Vel ipso Apelle Judice
Ipsi etiam hoc gaudent decorari stamine Reges
Mollesque Regum liberi.
Hinc labor, hinc illos Bombix se impendit in usus
Sortique gratatur suæ;
Scilicet hæc operis Merces hæc gloria: *Divis*
Laborat *atque regibus*

Insanos quibus urbs ſtrepit importuna tumultus
Ruæe dum prudens fugis ;
Ac nemorum in latebris tutum bene quæris aſylum
Sua ubi labori ſit quies ;
Hic te nativo concluſus carcere Bombix
Imagine expreſſum refert.
Tu quoque te vivi (fas ſit dixiſſe) ſepulchri
Volens recondis in ſinu.
Et quot opes varias ibi docto pectore fundis
Animæ diſertæ prodigus ;
Seu ſcrutare ſacræ veneranda oracula legis
Seu vitia moreſque improbos
Impugnas, faciemque almæ virtutis honeſtam
Velis remotis exhibes.
Seu quidquid divina tegunt myſteria promis
Facundus interpres Deum.
Nunc equidem hæc tacitæ credis miracula chartæ
Silentioque contegis ;
At quales procerum plauſus, voceſque ſequentur
Cum te aula torrentem audiet,

Grandiaque æternæ reſerantem arcana ſalutis.

Tuo ipſe Lodoïcus ſtupens

Ingenii ſublimem aciem pendebit ab ore.

Hinc caſta Relligio decus

Antiquum referet, ſacris hinc gloria templis,

Ariſque reddetur nitor.

Hinc eradentur pravi te vindice mores,

Virtuſque vincet ardua.

Sic eſt, non operi tanto fruſtra impiger inſtas


Diis gratus atque regibus;

Quid non perficies, quæ non faſtidia vinces

Quem tanta Merces incitat?

Hæc illa eſt operis Merces præclara, laboras

Divis RUÆE, *& regibus.*





I N

VICTORIAM MARSALICAM.

ODE.

PArvâ ſequentum cum fugeret manu
Calcans ſuorum denſa cadavera
Sabaudus, & propter refuſas
Eridani properaret oras;
Fluctus tumentes ipſe loci pater,
Compreſſit atrâ fronte ſeverior
Dum durus interpres fugato
Fata Duci canit, & vetantes
Peccare Majorum hiſtorias * monet.
Satiſne fuſum ſanguinis? i, novas
Rurſus cohortes, caſtra rurſus
Marſaliis peritura campis
Molire Princeps, materiem novi

* Quoties Sabaudiæ Duces à Gallico fœdere defecerunt toties ditione ſuâ pulſi.

Gallis triumphi. Sed gemit Anglico
    Mactata per crimen Tyranno
        Victima plebs, dominique culpam
Centum ruinis expiat innocens,
Attrita, longum pauperie, fame,
    Cæde & frequenti. Decolores
        Nunc etiam violentus undas
Devolvit in me Giffilis & meos
Cursus cruentat. Quid struis? irriti
    Quæ meta belli? fœderato
        Imperio, sociisque demens
Confidis armis scilicet? ah! miser
Manes avorum consule. Non vides
    Omnem per Europam pudendâ
        Supplicis in specie vagantem
Philbertum * avitis finibus exulem
Victore Gallo? quem quoties malos
    Sero retractantem furores

* Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ ditione suâ pulsus à Francisco I. Galliarum Rege.

Pænituit violaſſe pacem,
Cum nec tuentis præſidium Imperi
Nec ille mundi Carolus arbiter,
Victorque Franciſci ruinam
Italiæ, volucréſque Galli
Tardaret iras; hoc tamen, hoc ſuâ
In ſorte felix, cui * pretium tori
Auguſta cui virgo redemptas
Connubio reſeravit arces.
Et tu ſequeſtram pacis habens tuæ
Reſiſtis ultro, nec ſuperum gravem
Iram reformidas? reſiſtis,
Nec rapidi Lodoïcis arma
Quem tota terris & Pelago arbitrum
Europa ſenſit; nec metuis novum
Tentare martem & fata Gallis
Obſequioſa tuiſque ſemper
Fatale bellum. Quid moror? imminet,

* Reſtitutus ab Henrico II. Ductâ ipſius ſorore Margarita Valeſia.

Laceſſit, inſtat jam Catinatius,
I nunc & inflictum vocato
Dedecus auxilio refelle.
Accerſe amicos undique Principes,
Fractas phalanges & lacera agmina
Stragiſque Nervindæ cruentas
Relliquias Batavus reducat.
His & ſubactæ præſidium Roſæ
Iberus addat, prodeat horrido
Cunctator ex antro Badenus
Unde prius populata Rheni
Latè arva, gentiſque excidium ſuæ
Vultu irretorto vidit, inertibus
Clauſtris tot heroas coercens
Cum foret exitioſus ultra.
Pellendus hoſtis. Deſinat & ſuis
Illudere Anglis Naſſavius minax,
Naveſque caſſis deſtinatas
Conſiliis tibi nunc remittat
Tot otioſis militibus graves;

Gentes in unum regnáque congreg,
Conjunge quidquid fœderatus
Orbis habet, tamen usque Regis
Fortuna vincet, causáque justior.
Conversa signis sed faveat tuis
Bellona, quid tantis emendum
Stragibus invideas triumphum,
Dum pacis almæ fructibus aureis
Periculoso marte procul frui,
Nostrisque in oris experiri
Delicias licet innocentes?
Dulce & decorum est vincere, si modo
Vincis coactus, si vetitum oderis
Tractare ferrum, si solutam
Non refugis renovare pacem.





SANTOLIUS VINDICATUS.

Cum quidam eum latinitatis minus gnarum dixiſſet.

ET quiſquam latiæ rudem
 Linguæ Santolium dixerit ? impius
Tam dirum evomuit nefas ?
 Sacras nec timuit quæ viridantibus
Intertextæ hederis caput
 Defendunt rapere & ſacrilego impetu
Lauros proterere inſolens
 Hic eſt ille tamen Santolius chori
Ingens Aonii decus.
 Hic eſt quem ſtupuit non ſemel auream
Pulſantem digitis chelyn
 Et curſu ambiguo ſequana reſtitit
Suſpenſas remorans aquas.

Cette piece & la traduction Françoiſe ſont déja imprimées avec privilege dans les Oeuvres poſthumes de Santeüil.


Æſtus invidiæ quis remorabitur ?
Nec tu maxime Santoli,
Sed victor ſterilem ſperne calumniam
An non in triviis frequens
Verſus impoſitos fontibus & legit
Et judex populus probat ?
Magnæ compita per plena Lutetiæ
Paſſim prætereuntium
Monſtraris digito. Te latii cycnum
Pindi, Virgilio parem
Puris ante alios te nitidum ſonis
Dicunt & teneræ nurus
Dum comptæ teretes molle micantibus
Tractant articulis colos.
At ſummos adeo quos ſociat tibi
Vates par amor & fides
Lædit Commirios, atque Juvencios
Quæ te injuria vellicat.
Nil luci ſolitum credere publicæ
Quod non ante Juvencius

Limâ & Commirius parcere nefciâ
Ac terfo ungue poliverit.
An quidquam horridulâ barbarie hifpidum
Tantis exciderit viris ?
Aut in Santolio dum properat, leve
Durus nefcio quid notem ?
Torrentem ancipiti dum fcopulo minax
Undis præcipitantibus
Fertur rauca fonans, fcilicet increpes
Quod fecum falebras trahat
Non femper nitidus, ceu per agros fluit
Parcæ rivulus undulæ ?
Sed quid vana moror ; livor edax, gemas.
Dicam : cedite cæteri
Quotquot docta parens Gallia jactitat,
Vates cedite, cedite.
Non vos qui celebrem Santolium furor
Par bacchantibus, incitat,
Fvibrantem oculis ignea fulgura,
Si quando violentior

Smintheus fatidico numine concutit
Tunc illi neque mens, neque
Turbatâ facie certus ineſt color
Et quiſquam temerario
Vatem grandiloquum dente laceſſerit!
Et ſpirat ſceleris memor!
Non ſic effugies perfide, ſed graves
Pœnas Santolio dabis.
Ni te, dum properas Rothomagum, ſuis
Vindex ſequana fluctibus
Abreptum medio merſerit alveo.
Quanquam flagitio minor
Hæc vel pœna foret; durius, acrius
De te ſupplicium exigam.
Evinctus geminas more nocentium
Tergo flebiliter manus
Coram Santolio ſtabis, & horridus
Totis viſceribus tremes,
Cum vultu horrifico, terribilis, furens
Qualis carminibus tonat,

Divulsis labris spumeus, & genis
Distorto ore frementibus
Ac multa ingeminans voce, scelus, scelus
Pejus fulmine conteret,
Ac miris trepidum conficiet modis,
Plangentemque manu sinus,
Clamantemque diu : pœnitet ah nimis !
Frustra ; nam gelidus tibi
Immissus subito membra rigentia
Torpor frigore vinciet
Immotóque silex stabis iners solo.
Viso Santolio, ah miser !
Fatum Marmoreæ te Niobes manet.





TRADUCTION
DE LA PIECE PRECEDENTE.

SANTEUIL VENGÉ.

QUelle audace grand Dieu ! Quelle témérité !
On attaque Santeüil sur sa latinité.
Quoi, ces termes pompeux dont la magnificence
Par tout offre à l'oreille une noble cadence,
Au chagrin d'un Censeur n'ont pû le dérober,
Et je le vois déja tout prêt à succomber ?
En vain contre la foudre & contre la tempête
Phœbus de cent lauriers a oit muni sa tête,
Un Critique chagrin par un indigne affront
Foule aux pieds les lauriers qui lui couvroient le front.
C'est pourtant ce Santeüil le Heros du Parnasse,
Ce grand imitateur de Virgile & d'Horace,
Et devant qui la Seine aprés mille détours

Fixa jadis ses flots, & suspendit son cours.
Mais qui peut arrêter ou suspendre l'envie
Elle t'attaque enfin au déclin de ta vie,
Santeüil; mais soûtenu d'une noble fierté
Méprise les efforts de sa malignité.
Dans Paris aujourd'hui les fontaines publiques
Portent de ton sçavoir des marques authentiques,
Le Peuple y lit tes vers gravez en cent endroits
Et sçait les approuver du geste & de la voix,
Ton mérite n'est pas renfermé dans un Cloître
Santeüil dans l'Univers s'est fait assez connoître,
A tes rares vertus on rend ce que l'on doit,
Et dés que tu parois chacun te montre au doigt.
Les Dames même enfin parlent de tes ouvrages,
En vantent leurs beautez te donnent leurs suffrages,
Au Cigne de Mantouë égalent ton destin
Et trouvent que surtout tu parles bien Latin;
En vain tous les Sçavans publieroient le contraire,
Un aveu de ce poids les oblige à se taire.

Mais ce n'est pas toi seul que l'on attaque ici,

On offence encor plus Commire & Jouvenci ;
Oüi ces doctes censeurs, ces sçavans Personnages,
Doivent être tous deux garans de tes Ouvrages ;
On sçait qu'entre les soins de leurs emplois divers
Ils ont encor celui de repolir tes Vers ;
Qu'on rejette sur eux ce qu'on peut y reprendre,
Car ce n'est pas à toi, Santeüil, qu'il faut s'en prendre.
Mais non, ne craignons rien, ils n'ont pû s'y tromper,
Nul terme de travers n'a pû leur échaper,
Et d'ailleurs quand ce Dieu qui t'agite & t'inspire
Te dicte ces beaux Vers que la Province admire,
Doit-on dans les transports de ces nobles accés
Sur un mot mal placé t'aller faire un procés ?
Semblable à ces torrens qui du haut des montagnes
Viennent à grand fracas inonder les montagnes,
Doit-on te reprocher, si dans leur majesté
Tes Vers n'ont pas toujours autant de pureté
Qu'on voit en ces ruisseaux qui gardent dans leur course
Cette même beauté qu'ils tirent de leur source.

Et pourquoi m'arrêter à tous ces vains propos,
Pourquoi m'épouvanter des cris de ces corbeaux ?
Il faut qu'à haute voix ici je le publie,
Oüi j'oserai le dire en dépit de l'envie,
Habitans d'Helicon, soûmettez votre orgueïl
Et rendez en ce jour hommage au grand Santeüil.
Qui de vous comme lui dans les vives boutades
Tel qu'un thirse à la main s'élançoient les Menades
Paroît jettant par tout des regards furieux
L'écume dans la bouche, & le feu dans les yeux ?
Est-il à son abord mortel qui ne frémisse
Quand on le voit errant d'un air de Pythonisse
Porter de tous côtez d'un pas précipité
Le terrible démon dont il est agité.
Et cependant ô ciel ! devant toute la terre
Un jeune homme insolent lui déclare la guerre,
L'ingrat respire encore en son crime endurci ;
Quoi donc esperes tu nous échaper ainsi ?
Non, tandis que saisi d'une frayeur stérile
En fuyant vers Roüen tu cherches un azile,

La Seine engloutissant ton crime sous ses eaux
Vengera par ta mort l'honneur de son héros ;
Mais non ce seroit peu, la peine est trop légére ;
Enfin j'en découvre une égale à ma colére
Tu vas périr, cruel, le supplice est tout prêt,
Fremis en entendant ce rédoutable arrêt.

Chargé de rudes fers dans une humble posture
Plus mort qu'un criminel qu'on traîne à la torture,
Detestant dans ton cœur ton crime & ton orgueïl,
Tu paroîtras, perfide, & tu verras Santeüil.
Qu'il sçaura bien alors punir ton imposture,
Quand armant contre toi son affreuse figure,
Les deux bras en désordre élancez dans les airs
Tel qu'il est quand il fait ou recite des vers,
Tout prêt à t'engloutir ouvrant un large gouffre,
D'où tu verras sortir & la flamme & le souffre,
D'une voix de tonnerre imprimant la terreur,
Il te dira cent fois : scelerat, imposteur.
C'est alors qu'éperdu, reconnoissant ton crime
De Santeüil irrité pitoyable victime,




IN

POETAM INFICETUM

MALE HABITUM IN PARNASSO.

Asellus ille missus Arcadum jugis
Videre culta vatibus sacris loca
Sed inde pulsus & repulsus improbè,
Biverticisque montis è cacumine
In ima jactus, acriter nimis furit;
Negátque tale posse perpeti probrum.
Sibi dolere nam cutem tenellulam
Latusque molle; partem & aurium nefas
Per hæc vepreta restitisse tertiam
Asellus ille plangit. Hinc mala omnia
Tibi tuisque Phœbe docte vatibus
Minatur usque. Per Deos per & Deas
Cavete, rudit, impotensque calcitrat,
Et est timendus. Ergo quid moramini
Cruenta frustula aurium remittere,

Pilosque quotquot horruere per rubos.
Sed ut residat omnis ira funditus,
Et obstrependo calcitrare desinat
Asellus ille; colligate fascibus
Vepresque carduosque delicatulos
Et in profunda hiantis ora mittite:
Statim hæc vorabit, atque mitigabitur
Nihil doloris & nihil probri memor
Asellus ille missus Arcadum jugis.





D. B.

AB INIMICIS CALUMNIA FRUSTRA IMPETITO.

SYMBOLUM

Speculum oris habitu obſcuratum cum hoc lenunate.

NOVUM TRAHET INDE NITOREM.

QUis ſpeculo indignam pretioſo obducere nubem
Auſus & eximium contemerare decus ?
Nempè aliquis puro ſpeculatus in æquore formam
Indoluit, vultus erubuitque ſuos.
Et ſpeculum ſtultè incuſans quod pingere tantum
Naturam, vitium non reparare valet,
Fœdavit nitidum obſcænâ glaciem invidus aura
Opprobrii teſtis ne foret illa ſui.
Ne tamen hinc ſpeculi credas periiſſe nitorem,
Quin potius major, quam fuit ante, redit.

Nam ſpeculum deterge, *novum trahet inde nitorem*
Et faciem referet purius inde tuam.

Hoc te ſub ſpeculo ſimulatum agnoſce B***
Nil non ingenio pingere docte tuo.
Sæpe tuis pictam ſe gens inimica libellis
Agnovit, vultus erubuítque ſuos!
Hinc odia, hinc ſævis armata calumnia telis
Perfidis, atque nefas, clámque palamque furit.
Hinc auſa eſt nubem pretioſæ obducere famæ
Impuro & mores carpere dente tuos.
Quis tamen invidiæ fructus, fraudiſque malignæ
Quid cæcus poſthac proderit ille furor?
Ne dubites, tua fama *novum trahet inde nitorem*
Verúſque ex falſo crimine creſcet honos.



OMNIA

OMNIA VANITAS PRÆTER AMARE DEUM.

Purpureum florem formâ deceptus amabam;
Venit hyemps, rapuitque meum mihi barbara florem.
Huic successit apis, digitum sed acumine læsit,
Post etiam nostros meruit sibi passer amores,
At celeri aufugiens lusit me perfidus alâ.
Dilexi & Thirsin, mors abstulit improba Thirsin.
Nunc te Christe unum, nunc toto pectore amabo,
Cui neque Bruma potest neque mors inimica nocere,
Quique tuos nec Christe fugis, nec lædis amantes.

FINIS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO Julianus Baudran Societatis Jesu in Provinciâ Franciæ præpositus Provincialis facultatem concedo ut P. Joannis Antonii du Cerceau Carmina in lucem edantur, in quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus. Parisiis die 3. Novembris, anni 1704.

JUL. BAUDRAN.

APPROBATIO.

EX mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii, legi Librum cui titulus est *Selecta Patrum Societatis Jesu Carmina*, *Tomus primus*, *continens Joannis Antonii du Cerceau ejusdem Societatis Poëmata*, qui quidem liber luce publica dignus est. Datum Parisiis 6. Kalend. Jun. an. 1705.

POUCHARD.

PRIVILEGE DU ROY.

LO[illegible] par la [illegible] e Dieu Roy de France & [illegible] ez & feaux Conseillers, les [illegible] le Parlement, Maîtres des R[illegible] tre Hôtel, Grand-Conseil,

Prevost de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra. Salut. JEAN BOUDOT, l'un de nos Imprimeurs ordinaires & de nôtre Academie Royale des Sciences, Nous ayant fait exposer qu'un P. Jesuite ayant tiré de divers Auteurs plusieurs Pieces de Poësies Latines & Françoises, propres à former l'esprit sans corrompre les mœurs, en auroit composé un corps qu'il desireroit donner au Public, sous le titre de *Recuëil de Poësies Latines & Françoises, contenant : Ioannis Commirii Opera, Selecta P P. Soc. Iesu carmina, Deliciæ Poëtarum Italorum, Gallorum, Germanorum, Scotorum, Anglorum, Belgarum & Danorum contracta ; Brotii & Remmii carmina & Bartasii Hebdomas à Gabr. Lermao Latino carmine reddita* ; s'il nous plaisoit luy accorder nos Lettres de Privilege sur ce necessaires. Nous avons permis & permettons par ces Presentes audit Boudot d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy semblera, & de le vendre & faire vendre par tout nôtre Royaume pendant le temps de huit années consecutives, á compter du jour de la datte desdites Presentes ; Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres personnes de [illegible] que qualité & condition qu'elles soient, de le [illegible] trefaire en tout ni en partie, & d'en introduire, vendre ou debiter d'impression étrangere en aucun lieu du Royaume sans le consentement par écrit dudit Exposant ou de ses ayans cause, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à [illegible] de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & [illegible]s, dommages & interests ; à la charge [illegible]s seront enregistrées tout au long sur le R[illegible] mmu-

nauté des Imprimeurs & Libraires de Par s, & ce dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impression dudit Livre se fera dans nôtre Royaume & non ailleurs, & ce en bon papier & en beau caractere, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de l'exposer en vente il en sera mis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelypeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes: Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement: Voulons que la copie desdites Presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin dudit Livre, soit tenuë pour dûëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nôtre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires sans autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande & lettres á ce contraires: Car tel est nôtre plaisir. Donné à Versailles le trentiéme jour de Janvier, l'an de grace [illegible] l sept cens quatre, & de nôtre Regne le soixante-unovie. Par le Roy en son Conseil. LECOMTE.

[illegible] gistré sur le Livre de la Communauté dês Libraires & Imprimeurs de Paris [illegible] 108 p 141. conformément aux Reglem[illegible]tamment à l'Arrest du Conseil du 13. Aoust. [illegible] le 21 Fevrier 17[illegible]4.

P. EMERY, Syndic.

MC